

I. N. 7.

B. HENRICI HÖPFFNERI
COMMENTARIUS

IN

PSALMUM IIX.

Quem ex MSSCTO editum

Sub PRÆSIDIO

Academiæ Gryphiswaldensis

PRO-CANCELLARII PERPETUI

D. JO. FRIDERICI MAYERI,

Confiliarii Regii, totius Pomeraniæ Svecicæ ac Rugiæ Super-
intendentis Generalis, Consistorii Regii Præfidis, Prof.
Theol. Primarii, & Facult. Theol. h. t. DECANI,

HENRICUS GOEBEL, *Stada-Bremensis.*

HENRICUS BEYE, *Palaogea-Bremensis.*

MARTINUS GABRIEL KUNHARD, *Oberndorffio-Brem.*

GERHARDUS BERTHOLDI, *Wilstæda-Brem.*

publicæ disquisitioni
subjiciuntur

Ad d. Decembr.

Anno 1703.

GRYPHISWALDIÆ,

Typis DANIELIS BENJAMINIS Starckens!

Reg. Academ. Typogr.

Bl. diss. A
26, 37

Bl. A 196 (37)

~~XII. 40. 5~~

V I R O
MAGNIFICO ATQVE REVERENDISSIMO
DOMINO,
DN. JOHANNI
DIECMANNO,

Doctōri Theologo longè celeberrimo,
immortaliumq; in Ecclesiam meritorum,
S. R. M. Svec. per Ducatus Bremensem &
Verdensem Superintendenti Generali
Eminentissimo,

DOMINO, PATRONO, EVERGETÆ, FAUTORI
AC MÆCENATI NOSTRO MAXIMO,

Salutem è salutis fonte JESU
&
perpetuam incolumitatem!



2. 21. 11. 2

CUM MAYERUS Præceptor noster,
à cujus ore quotidie pendemus,
ad imbibendam solidiorem SS.
Theologiæ cognitionem, post S. Literas
Librosque Symbolicos, ad limpidissimos
Höpffneri fontes nos invitaret, *Vir Ma-*
gnifice, & Psalmum VIII. Höpffneriano
Commentario expositum, nobis ceu pro-
prium destinaret: Tu statim nostras subi-
isti mentes, cui incomparabilis hujus opu-
sculi inscriptione Strenæ loco, pietatem &
observantiam nostram confirmaremus. Et
ne quid dissimulemus, ipse Præceptor no-
ster MAYERUS, auctor hujus extitit cul-
tus pietatisq; significationis, qui quantum
Te amet atq; veneretur, publicæ ejus pri-
vatæque Scholæ testantur, in quibus ad
DIECMANNUM, ceu absolutissimi Theo-
logi instar nos semper remittit, eumq; no-
bis in exemplum studiorum ac vitæ ponit.
Nos nostro quidem nos metimur pede,
atque imitationis spem abjicimus; Qui
enim DIECMANNUM studet æmulari,

Ille ceratis ope Dædalea

Nititur pennis, vitreo daturus

Nomina Ponto.

In illud tamen impetrato per serias castas-
que preces Spiritus S. auxilio intendimus,
ne Tuo Reverendissime Præsul, favore affe-
ctuq; , quem experti hætenus sumus, pro-
priumq; nobis precamur, unquam simus
indigni, Tibiq; nostra vita, nostra proben-
tur studia. Summum Numen, quod diffi-
cillimis his temporibus periculiq; plenis,
Te Ecclesiæ puriori singulari solatio tuta-
miniqve dedit, & nostræ salutis Præsidem
constituit, per multos annorum recursus
Te sospitem felicemqve conservet, & per
instantis anni spatium, nova quotidie fe-
licitatis accessione augeat ornetqve. Id
quod serio vovent & addictissimus Tibi
Præses noster, & nos

MAGNIFICENTIÆ VESTRÆ

Gryphiswaldie, 28. Decembr.

Anni agonizantis 1703.

Observantissimi ac devotissimi Cultores

HENRICUS GOEBEL, Stada-Bremensis.

HENRICUS BEYE, Palzögza-Bremensis.

MARTINUS GABRIEL KUNHARD, Oberndorffio-Brem.

GERHARDUS BERTHOLDI, Wilstada-Bremensis.

B. HÖPFFNERI Commentarius

In PSALMUM VIII.

§. 1.



Hic Psalmus est ex numero Propheti-
corum Psalmorum, cujus & inscriptio, & argumentum
ante omnia sub considerationem veniunt.

Titulus est: *Magistro Symphonia super Gitthit, Psalmus
Davidis.* Ubi vox Gitthit, quæ ter tantum in li-

bro Psalmorum, semel in hoc; secundo in LXXXI. & denique
in LXXXIV. Psalmo reperitur, variè ab interpretibus expli-
catur. Nam alii putant, notari instrumentum Musicum,
quod vel à *forma* sic appellatum sit, eò quod torcularis
speciem habuerit. *ἄ* enim torcular significat: Vel à
loco, nempe civitate Gath, una ex quinque urbibus Phili-
stinorum, in quâ vel à Davide eò profugo, vel ab aliis inven-
tum sit hoc instrumentum. Atque hanc explicationem
confirmat Chaldæa Paraphrasis, quæ sic habet: *In laudem cy-
tharæ allatæ, de urbe Gath.* Moris enim fuit, instrumenta Mu-
sica, tum etiam melodias ipsas nominari à nationibus ea-
rum inventricibus. Hinc instrumenta alia fuerunt Lydia,
alia Phrygia: item modi & toni, alii Lydii; alii Phrygii;
alii Dorici; ut est apud *Aristot. 8. Polit.*

§. 2. Alii putant, hanc appellationem factam esse à *ma-
teriâ & tempore Psalmi*, in quo cani debuit. Cum enim
Gath significet torcular, putant Metonymiâ quadam innui
vindemiam, in qua torcular in usu est: atque ut ita Gitthit
sit instrumentum, vel carmen Musicum torculari vel vin-
demiæ adhibitum; quemadmodum & *Athenæus Lib. 10.* me-
minit: Carmen torcularium fuisse veteribus usitatum: Unde
& in Græcâ versione Psalmi hujus habetur: *ὑπὸ τῶν ληνῶν. ληνὸς*

A

enim

enim torcular notat; Hinc Lenea & Epilenea dicebantur festa Ethnicorum, quæ in vindemia celebrabant. Ac sane festum *σκηνοπεγίας* apud Judæos incidebat in Septembrem, quo apud illos, plenis spumabant vindemia labris. Hoc tamen notamus, male ex versione Græcâ inferri, à Bellarm. & aliis Jesuitis, corruptos esse fontes Hebræos, & legendum esse non Gitthit, sed Gitthot, quod est plurale à singulari Gath, cum LXX. dixerint in plurali, torcularia: Nam Gitthit est diversum nomen, & derivativum à Gath, i. e. torcular, illudque derivatum voluere Græci *παραφράζειν*, nomine plurali primitivo, ut notarent lætitiæ magnitudinem in decantando carmine, propter abundantiam vindemiæ nuncupato divinæ clementiæ.

§. 3. Plerique Patres allegoricè hanc materiam interpretantur, & torcular accipiunt, *vel de passionibus Christi*, in quibus sanguinem, tanquam in torculari, magnâ sibi copia exprimi sustinuit ut est *Es. LXIII, 1. 2. 3.* Vel de *Ecclesiâ*, quæ similis est vineæ, *Matth. XX, 1. Es. V, 1.* deque ministerio *Ecclesiæ*, quâ laudes DEI celebrantur, ob spiritualia bona, non secus atque in vindemiâ ubere exaudiuntur lætæ voces, & *κελεύσματα Jerem. XXV, 30. Cap. XLVIII, 3.* Utraque explicationis Allegoricæ ratio non discedit à scopo Psalmi. Agitur enim hic de passione Christi, per quam intravit in gloriam suam, & celebratione nominis, quod magna laude extollitur. Quo facit Periphrasis Psalterii Syriaci, quæ sic format titulum: *De CHRISTO Salvatore nostro, & de distinctionibus naturarum.*

§. 4. Porro de argumento Psalmi major adhuc est contentio. Sunt enim qui, DEI magnificentiam hic prædicari statuunt, intuitu hujus universi, in quo mirabiliter luceat nomen ejus i. e. sapientia, potentia & providentia, tum imprimis
gene-

generis humani. Quam explicationem habent Euthymius, Janfonius, Bellarminus, qui Psalmum hunc de CHRISTO nonnisi mysticè & allegoricè; In literali autem vel historico sensu, & proprie de homine intelligunt.

Eandem sententiam propugnat & *Calvinus in Comment. suo*, cujus flosculos partim ob oculos ponit, *Nicolaus Hunnius in Calvin. Judaiz. & in AntiPareo*: Dicit enim *Psalta* (*Calvinus*) verba ab Apostolis illa citantibus trahi ad CHRISTI exinanitionem, & deflectere, quod alio sensu à *Psalte* dictum fuerat; non fuisse Apostolis propositum genuinam verborum Davidis expositionem afferre. Item allusiones tantum fieri ad verba *Psalta*, non vero exprimi, quod illi intellexerat, cum David in temporalibus tantum beneficiis subsistat. Sic autem adornant Paraphrasin hujus Psalmi, ut primum in genere extolli dicant magnificentiam Creatoris & celebritatem nominis, ob exhibitam providentiam & potentiam ubique, & insuper cœlestibus creaturis. Sed tamen ipsum hominem magis adhuc ostendere divinam benignitatem, idque documentum deduci putant (1) *Ex educatione hominis*, qui in ipsa infantia, cum adhuc lactatur, de benignitate DEI alimentum suppeditantis, ex sanguine materno in lac transformato testatur, eum quidem ob finem, ut roboretur gloria DEI contra inimicos ejus vel Epicuræos, qui hoc ipso convincantur, DEUM res humanas curare.

(2) Deinde volunt benignitatem DEI celebrari ex sustentatione vel conservatione, instituta comparatione cum providentia DEI de rebus cœlestibus, & hunc volunt esse sensum. *Vers. 4. 5. & seqq.* Licet in cœlestibus corporibus, cum ea intueor, incomparabilem tuam, O DEUS, majestatem admirer, tamen longe eminentius lucet tua bonitas erga hominem, qui licet sit pulvis ac cinis, & calamitosum animal,

mal, tamen tot pecoribus à te ornatur, ut ejus conditio non multo inferior sit cœlesti & divina tua gloria, sicut Rabbinos secutus Calvinus exponit, vel non sit inferior angelis, nisi modicum, ut Bellarmini habet glossa. Contulisti enim in hominem imperium externum in creaturas, & voluisti illum esse vice DEI in mundo, ut obsequium præbeant ipsi equi & boves, & animalia victum suppeditent. Quare O Domine, Dominus noster: merito admirabile est nomen tuum, qui ad tantum dignitatis gradum hominem evexisti.

§. 5. Hæc prima est classis Interpretum: Sequitur altera, quæ per hominem & Filium hominis intelligit electos, qui in Christo recuperarunt instaurationem imaginis DEI, & domini in omnes creaturas. Huic affinis est *Piscatoris* explicatio, qui *vers. 3.* Psalmi de benificentia erga omnes homines, sed *Vers. 6. 7. 8. 9.* de benignitate divina erga electos accipit.

§. 6. Tertia denique interpretatio est Hieronimi, Augusti & Græcorum plerorumque Patrum, qui non nisi de Christo accipiunt, vocem hominis & filii hominis *Vers. 5.* & adjuncta, quæ ipsi attribuuntur; Atque hanc postremam interpretationem, repudiatis ceteris, nos quoque approbamus. Quamvis enim sensus reliquarum de benignitate Creatoris, tum & instauratione hominis per Christum sit analogus fidei; tamen ad literam Psalmi non quadrat; sed ab harmonia N. T. dissonat, ubi Psalmus allegatur. Unus est autem proprius & principalis Scripturæ sensus, quem parit rerum vel argumenti series, & circumstantiarum consideratio, quæ tantò est accuratior, si Apostolicæ allegationis & explicationis auctoritate nitatur. Proinde hunc Psalmum propriè de Christo, & quidem de solo Christo acci-

acci-

accipiendum esse probamus: Proprie & in literali sensu verba Psaltæ de Christo intelligenda esse, ostendit (1) *universa Christi Historia*, quæ de ipsius exinanitione, exaltatione, regno & dominio in omnes creaturas evidentissimè testatur. Confirmat (2) insuper hoc ipsum *allegatio bujus Psalmi Apostolica* in IV. distinctis locis N. T. de Christo eum interpretata, nempe *Matth. XXI, 16. 1. Cor. XV. vers. 27. Ephes. I. v. 22. Hebr. II. v. 7. & seqq.* Quod vero de solo Christi accipiendus hic Psalmus, probamus duabus potissimum rationibus. (1) *Ex qualitate gloriae.* Nam hujus hominis qui dicitur paulisper imminutus, & postea coronatus, magnificentia, prædicatur esse supra cœlestis, immensa & divina. Hæc autem non nisi Christo secundum humanam naturam in tempore communicata est, uti Apostolus *Ephes. I, 21.* explicat: *Collocavit (Christum) ad dextram suam in cœlis, longè supra omne nomen, quod nominatur non solum in hoc, sed & in futuro seculo.* (2) *Ex universalitate rerum subjectarum.* Solus habet Christus sibi omnia sub pedibus suis subjecta: Illum autem *προσδιορισμὸν Omnia* Apostolus *Hebr. II, 8.* Ad Omnes Creaturas, extendit. In eo (inqviens) quod omnia ei subjecit, nihil omisit, quod non subjectum ei. Idem *1. Cor. XV, 27.* evidentius adhuc inculcatur, ubi nihil nisi DEUM ab hac universalitate rerum subditarum excipi docetur: *Omnia subjecit sub pedibus ejus. Cum autem dicit omnia subjecta sunt ei, sine dubio palam est, excipiendum eum, qui subjecit illi omnia.*

§. 7. Contra vero nec de Adamo vel integro vel lapso, nec de posteris ejus per Christum reparatis, dici possunt hæc Axiomata divina. Nullus unquam consecutus est immensam gloriam & nomen super omne nomen: Nullus sibi habuit, aut habebit subjectos Angelos bonos; Nullus habuit aut habet potestatem in cœlos lunam & stellas. Atque

que hinc facile apparet, quam sterilis sit interpretatio prima: Nam præterquam, quod sit Apostolicæ explicationi contraria, ne quidem trahere potest hunc Psalmum ad primum hominem, vel ejus posteros ratione creationis consideratos. Non ad primum hominem; quia Psalmus dicit (1) *Filium hominis* imminutum, & postea coronatum esse. Adam autem non fuit Filius hominis, sed ex limo terræ à DEO creatus. (2) *Adam in statu integritatis non habuit imperium* in cælum & Angelos, sed in hoc Psalmo, omnium rerum subjectio, excepto solo subjiciente indigitatur, ut modo infallibilem testem interpretationis ex *1. Corinth. XV, 27.* audivimus (3) *Letet Adam in statu integritatis perfectus fuerit, ut animalibus imperaret, tamen modus domini longe diversus est ab eo dominatu, qui h. l. describitur; Potest enim aliquis dominari aliis, non tamen ita, ut eos sub pedibus subjectos habeat.* Nam mulieres sunt subjectæ viris *Col. III, 18. 1. Pet. III, 1.* & ὁ πανδρός *Rom. VII, 2.* non tamen sub pedibus sunt subjectæ. Hic autem agitur de dominatu, in subjectos sub pedibus i. e. liberrimo, & ἀνυπερβύω quo imperans ad suum nutum imperat. (4) Argumentum etiam peti potest ex *circumstantia temporis.* Si enim de Adamo sermo esset; non diceret Psaltes in præsentis; Quam admirabile est, sed quam admirabile fuit nomen tuum: Item, quod memor es hominis, sed quod memor fuisti. (5) Denique ratio peti potest, ex *conditione Adam in statu integritatis;* Non enim fuit ille אָנָשׁ h. e. homo miser, variis calamitatibus & infirmitatibus obnoxius.

§. 8. Neque etiam ad Adami posteros applicari potest hic Psalmus. (1) Quia illi nunquam habuerunt in omnia animalia dominium, nedum in omnes creaturas. (2) Quia Psaltes in futuro tempore, de imperio post sua tempora futuro

turo

turo loquitur *vers. 7. Dominari facies eum in operibus manuum tuarum.* At imperium hominum in animalia, quantumcunque post lapsum remansit, etiam ante tempora Davidis fuit. (3) Præter Christum nec Adam nec ejus Filii possunt minui gloria divina, & inferiores esse Angelis ad breve temporis, quia semper sunt inferiores quam Angeli, & nunquam iis communicabitur personali unione, plenitudo Divinitatis: Psalmus autem noster agit, de eo, qui paulisper minutus fuit à DEO, vel Angelis. Neque enim adverbium illud *paululum* notat conditionem & statum; sed temporis spatium breve, ut certissimus est interpretes Apostolus *Ebr. 11, 9.*

§. 9. Altera explicatio est, quæ de electis accipit hominis exaltationem in Christo factam; Refutatur vero ibidem (1) *Ex qualitate magnificentie* h. l. descriptæ divinæ & immensæ, cujus nunquam personaliter electi fiunt participes (2) *Ex Latifundio dominatus hic celebrati.* Non enim nanciscuntur imperium electi in cælum & omnes creaturas (3) *Ex diversitate CHRISTI capitis & membrorum.*: Ille habet infinitam & divinam potestatem, ut possit hominibus mereri salutem, eandemque illis applicare. Ad electos autem potestatis illius effectus vel utilitas redundat, ita ut fructum *αὐχημάτων* divinorum Christo secundum carnem communicatorum percipiant, & fruantur societate omnium bonorum, ac postliminio recipiant in Christo jus bona cum conscientia utendi creaturis. Unde *Lutb. ad vers. 8. Psalmi* hanc marginalem glossam ponit. *Die Christen sollen auch zu essen haben auff Erden.*

§. 10. Verum jam ad Oeconomiam Psalmi accedimus eumque in duas partes distribuimus: Quarum I. generatim celebrat, admirandum nomen Christo secundum carnem

nem

nem attributum, subjectis simul actionibus usque ad *vers. 15.* II. autem explicat ordinem exercendi communicatam illam magnificentiam, & duplicem statum Christi proponit, Exinanitionem & Exaltationem. Quam partem posteriorem augustissima verborum amplificatione exaggerat, & postea iisdem quibus inchoverat verbis, Psalmum terminat per Epianalepsin Rhetoricam. Est enim *κυκλοτερής* hic Psalmus, & idem exordium, eundemque finem habet.

Vers. 2. DOMINE, DOMINUS NOSTER.

IN prima parte continetur propositio, deinde subjicitur explicatio ejusdem per partes vel membra certa Propositio Syllogistice resoluta sic habet. Jehovæ Domini nomen est admirabile. Verum hic illa Propositio duplici figurâ exornatur, quando Psalter DEUM acclamat, duobus ipsi tributis nominibus. Quorum primum est JEHOVAH & ad descriptionem personæ Christi pertinet. Innuit enim illum esse verum DEUM, qui habet infinitam essentiam, & largiatur omnibus rebus esse. Est enim hoc nomen DEO proprium & tantum in singulari numero

usurpatur; *Philo de vita Mosis* interpretatur ὄνομα τῆ ὄντος, nomen Entis scil. Infiniti & Independentis: vel, quod à se essentiam habet. Unde deductum volunt Rabbini ab יהוה Vide. *Scalig. in notis ad frag. pag. 38.* Alterum vero nomen est יהוה quo officium Christi notatur. Significat enim Dominum, qui columnæ instar familiam aut politiam sustentat & conservat à nomine יהוה basis, columna. Est vero Christus Dominus, non tantum ratione Creationis, verum etiam ratione redemptionis, quæ quasi est ἀνάκτησις quædam. Hieronymus vertit *Dominator* & Lutherus *Herischer*. Eandem quoque

quoque appellationem Christi Thomas quoque expressit, *Job. XX, 28. DEUS mi & Domine mi.* Quæri autem h. l. potest, an vox Jehovæ sit accipienda essentialiter, de totâ SS. Trinitate; an vero personaliter de DEO PATRE, vel & ipso Christo? R. Utramque explicationem posse locum habere; quia glorificatio, qua Christus secundum humanam naturam exaltatus est, omnibus tribus personis Deitatis communis est. Quamvis enim λόγος sibi tantum humanam naturam univerit; Quia tamen Pater & Spiritus S. cum λόγῳ, sunt unus DEUS, ideò humana natura propter istam unionem cum λόγῳ fit templum totius Trinitatis, in quo tota plenitudo Deitatis habitat *σωματικῶς, Coloss. II, 9.* Quia ergo recte dicitur, tota SS. Trinitas communicavit Christo secundum carnem divinam Majestatem: Pater illi omnia subjecit. *1. Cor. XV, 27.* Et dedit ipsi no-

men super omne nomen, *Phil. II, 9.* Et Filius ipse dicitur regnare, & ponere omnes hostes sub pedibus suis, *Psal. CX, 2.* Denique Spiritus S. super Christo requiescere, *Es. XI, 2.* Ideo etiam magnifici hujus nominis celebratio recte toti Trinitati tribuitur, id quod & sæpe inculcant pii Patres, ut *Athanas. Orat. 2. contra Arianos: Admirabile est, quod Filius cum Patre donat, id idem cum sit Filius, à se ipso accipit, eo quod corpus illa recipiat.* Idem de humana natura suscepta: CHRISTUS à se ipso ut à DEO ipsemet accipit ut homo. Qui vero personaliter vocem Jehovæ accipiunt, vel intelligunt eam de DEO Patre, quia *Phil. II, 9.* dicitur exaltasse Christum, & magnificentiam exponunt de ipso Christo; vel quod accommodatius est, intelligunt de Christo; quod ut DEUS sibi ipsi, qua homo est, contulit dona infinita. Atque huc respicit Syrus, cum vertit: Ribbonava, i. e.

B

Præ-

Præceptor noster. Altera figura, quæ exornatur hæc Propositio, est admiratio, quam infert particula ἡ δὲ ὡς, notans intentionem rei, quasi dicat: toti abripiuntur & stupent pii, cum gloriam tuam considerant:

Porro ipsum subjectum propositionis est: *Nomen tuum*. Quo possessivo discriminat nomen hujus domini, à nominibus & gloriâ hominum. Nomen autem DEI includit omnia ejus attributa, à quibus ille denominatur & celebratur, qualia sunt (1) *Essentiales ejus proprietates*, immensitas, æternitas, immutabilitas, omniscientia, omnipotentia, summa perfectio & beatitas. (2) *Opera & effecta DEI* ut sunt creatio & conservatio omnium rerum, & cum de Christo sermo est, totum ejus officium, ut satisfactio & intercessio, atque inde resultantia ἀποτελέσματα, reconciliatio hominum cum DEO, vocatio, justificatio,

renovatio & salvatio. Quo respicit Petrus Act. IV, 12. cum ait: *Non est in alio salus, nec est aliud nomen sub Cælo datum hominibus, in quo possint salvi fieri.* (3) *Adorabilitas & cultus*, quod, ipsum invocare tenemur, in ipsum baptizamur: Unde in formula Baptifini dicitur: *Baptizate in nomine Patris & Filii & Spiritus S.* Sic Paulus ἀρχιμαλα divina carni Christi in tempore data: Ipsam ὑπόστασιν τῆς λόγῳ eidem carni communicatam, vocat nomen supra omne nomen. *Phil. II, 9* Et dona communicata dicit superare omne nomen, quod nominatur non modo in hoc, sed etiam in futuro seculo, *Ephes. I, 21* Tantum de subjecto. Pergimus ad prædicatum. Cum nomen Domini nostri dicitur amplum, מְרִיבָה præclarum, sublime, excelsum, potens; Chaldæus vertit excelsum & laudabile. LXX. autem respicientes ad præcedentem intentionis particulam, per Meton. reddiderunt ὡς Σαυμασὸν ἰ.

μασόν; Quam admirabile est nomen tuum. Magnitudo autem & excellentia parit cultum & admirationem. Unde & Aristot. 1. Rhet. X. τὸ θαυμάζεσθαι ἡδὺν, δι' αὐτὸ τὸ θαυμάσαι. *Admirationi esse aliis, est jucundum, quia suave est honorari.* Et in XII. Metaph. 7. ait: Quo, quid sit præstantius, ὡς θαυμασιώτερον est: Ibiqve omnis admirationis summum terminum statuit, DEUM esse, quia sit Ens à se vivens, æternum & summe bonum: additqve ὁ θεὸς αἰεὶ θαυμάσιον. *DEUS semper est admirabilis.* Admiratio autem est suspensio intellectus non progredientis ad ulteriorem intellectiōnem; Hæret enim, ut inquit Scalig. Exercit. 312. *admiratio circa id, quod occurrit, nec transmittit; sed ita hæret, ut circumversetur, quæratqve aliquando veritatem; aliquando causas intellectiōnis: suspensus ibi est animus in re proposita, propensus in questione.* Idqve probat Scaliger ex supra di-

ctō Cap. Lib. 1. Rhet. ubi dicit Philosophus: ἐν τῷ θαυμάζειν τὸ ἐπιθύμιον μαθηστέστι. *e. in admiratione est discendi cupiditas.* Ex hac explicatione patet jam sensus verborum, qui tali paraphrasi potest reddi: O Messia Domine noster! quam excellens & sublime & secundum carnem accepisti nomen, dum vocaris Filius altissimi, & habes omnem potestatem in cælo & in terra, dum es omniscius, omnipotens, & ubiqve præsens, adoraris ab Angelis & hominibus, & timeris à Diabolis; Hanc augustissimam nominis granditatem rimari & intelligendo satis perspicere non possumus, sed miramur & conamur in mysterium hoc παρακλύπτειν, & ex verbo tuo, quantum nobis revelasti, cognoscere; quo diutius autem discimus, eo magis experimur, verum esse, quod ais, Gen. XXXII, 29. Jud. XIII, 18. *Cur quæris nomen meum, quod est mirabile?* Ceterum hæc nomi-

nominis Christi celebratio & admirabunda veneratio amplificatur a *Circumstantia loci*. In Veteri quidem Testamento notus erat in Judæa DEUS, & in Israël magnum nomen ejus ut est *Ps. LXXVI, 2.* sed in N. T. sine respectu locorum & nationum Christus agnoscitur. In universa terra est mirabile nomen ejus; Et ablato pariete, qui interjectus erat, vocatio ecclestis & ad gentes extenditur. *Ephes. II, 14.* *Usque adeo à solis ortu usque ad occasum, magnum est nomen ejus in gentibus, Mal. I, 11.* *Ps. CXIII, 3.* Unde *Ps. II, 8.* Latifundia hæreditatis dominicæ, terminis terræ fuerunt descripta: & *vers. 2.* *qui elevas gloriam tuam super Cælos.* Sequitur explicatio propositionis, quæ *membroteng* ostendit majestatem Christi, & hoc ipso simul causam reddit, cur ea sit tam admirabilis. Unde & Latinus interpretes relativum *ὅτι* quibus reddit per quoniam, causalem particulam.

Prima ergo ratio admirationis & quod nomen CHRISTI tam excellens in universa terra habeatur, petitur à *regno potentia*: Majestas vel gloria ejus elevata est super cælos. In fontibus est Enallage modi & temporis. Nam *תה* infinitivus ponitur pro Indicativo & Præsens pro Perfecto, h. e. *Qui vel quoniam ponere Majestatem tuam supra cælos, i. e. qui posuisti vel elevasti majestatem tuam supra cælos.* Quod enim antea Psaltes dixit: *Nomen, jam alta voce exprimit & nominat תה* splendor, majestas, dignitas, & potentia. *LXX.* vertunt *μεγαλοπρέπειαν*, h. e. magnificentiam, quæ vox h. l. non significat active magnarum rerum efficientiam, sed qualitatem, nempe splendorem ac majestatem; Et Apostolus *Heb. I, 3. Cap. VIII, 1.* appellat *μεγαλοσύνην*. Majestas autem elevata supra Cælos est majestas divina, sicut est *Ps. CXLIII, 4.* *Excelsus super*

super omnes gentes Dominus, & super cœlos gloria eius; Quæ ipsa phrasi distinguitur hæc gloria & majestas, à gloria beatorum, quæ licet & ipsa sit excellens, tamen inter cœlos continetur & finita est. At Christo communicata gloria non se continet intra cœlos, sed est supra cœlos, i. e. immensa & infinita. Alii vertunt in Cœlis: & relativum $\omega\upsilon\upsilon$ reddunt per particulam exaggerandi imo; quasi dicat Psalter: *Nomen tuum quod admirabile in universa terra. Sed quid dico in terra? Imo in cœlis etiam celebratur gloria tua ab Angelis & beatis.* Eandem versionem retinent & alii, qui tamen cœlum non de sede beatorum accipiunt, sed de regno gratiæ vel Ecclesiæ, in quâ Christi nomen agnoscitur, & vocem Hebraicam exponunt de laude & confessione, ut alibi hanc vocem & Latinus interpres reddit, & ab ea Græcum $\omega\upsilon\upsilon$ videtur descendere. Sic Luth. *Da man du dancket in Himmel; Qui*

& vers. 4. de ipsa Ecclesia & Doctoribus ejusdem interpretatur. Sed prima explicatio merito præfertur; quia gloria CHRISTI non dicitur posita esse in cœlis, sed $\omega\upsilon\upsilon$ supra cœlos, & ut LXX. vertunt $\upsilon\pi\epsilon\rho\acute{\alpha}\nu\omega$ πάντων τῶν ἑρρανῶν. Quam eandem Phrasin Paulus de Christi Exaltatione adhibet, *Eph. IV, 10.* ubi dicit: *Christum ascendisse ὑπεράνω πάντων τῶν ἑρρανῶν longè supra omnes cœlos, ut impleret omnia.* Idemque ad *Phil. II, 9.* testatur; quod DEUS Pater super-exaltaverit CHRISTUM, i. e. supra omne quicquid sublime & excellens est, exaltavit: & *Ephes. I, 20.* quod collocaverit ipsum ad dextram suam $\epsilon\nu$ ἑπερανίους i. e. in supercœlestibus.

Secunda causa sumitur à regno gratiæ, in quo stupenda nominis Christi admirabilis documenta occurrunt. Ut pote, cum illud administratur & conservetur supra & præter omnem rationem ac sapientiam humanam. Quidni enim stupeat omnis intellectus,

ctus, quod voce Evangelii inchoetur in hominibus regnum DEI, destructo regno Satanæ, & in mediis hostium furoribus conservetur, & crescat ceu liliū inter spinas, ut merito exclamet Psaltes *Pf. CXVIII, 23. Hoc à DEO factum est, & admirabile in oculis nostris.* Ideoque & propter

Vers. 3. EX ORE INFANTIUM ET LACTENTIUM, &c.

(1) Primum: Regnum est illud admirabile ratione *Officialium & subditorum*, qui sunt infantes & lactentes, non autem gigantes & fortes heroes, atque animosi satellites; Vel & sapientia atque auctoritate pollentes Dynastæ, Comites ac Senatores. Quid autem sit intelligendum per infantes & lactentes, varie controvertitur ab interpretibus. *Theodoretus* metaphorice infantes accipit de Christianis, simplicitatem, fidei retinentibus, & lactentes, de iis qui ut *ἀρτιγέννητα βρέφη* i. e. quasi modo geniti infantes, lac illud *λογικόν*

hanc ipsam causam, merito tribuitur CHRISTO titulus hic apud *Es. Cap. IX, 6.* ut vocetur *admirabilis*. Hanc autem regni gratiæ stupendam administrationem, aliquot argumentis ostendit David, quod ex seqq. apparebit.

verbi divini, nulla sapientiæ humanæ commixtione dilutum, nullo superstitionis colostro depravatum ex uberibus Christi sugunt, *1. Pet. II, 2.* Sic & *Cassiodorus*, nec non *Anselmus in Matth. Cap. XXI.* ait: *Infantes non aetate, sed simplicitate cordis, h. l. appellari, & lactentes quasi lacte miraculorum se oblectantes.* Eandem interpretationem sequitur & *Thomas. Augustinus* adhuc strictus de Doctoribus Ecclesiæ accipit, per quos licet imperiti & stulti mundo videantur, tamen CHRISTUS regnum propagat. Ratio autem pro hac interpretatione mili-

militans hæc est, quia Pfalteris his verbis reddit alteram rationem, ob quam CHRISTI nomen in universa terra per fidelem agnitionem professum, celebratur ab his & illis, qui sicut pueri regnum DEI recipiunt, & per fidele ministerium piorum Doctorum, inprimis autem Apostolorum, quorum sonus exivit in omne terram. Quod si autem proprie & secundum literam infantes essent accipiendi de pueris illis, qui Hierosolymis CHRISTO Hofianna acclamant, tunc nomen Christi quoad regnum gratiæ, per hæc verba non probaretur: Esse in universa terra mirabile: Cum historia hæc tantum Hierosolymis contigit: Alii autem proprie acceptos volunt infantes & lactentes, eo, quod Christus *Mattb. XXI, 16.* hunc versum non de adultis, sed de pueris ipsi acclamantibus allegat: Respondetur autem utramque interpretationem

posse stare, & debere sic conjungi, ut voce infantium & lactentium in genere accipiantur Christiani, quicumque malitia sunt puri, *1. Cor. XIV, 20.* & simplicitate cordis ac vera humilitate suam professionem tuentur. Nam ita CHRISTUS *Mattb. XI, 25.* accipit vocem parvulorum, cum glorificat Patrem cœlestem, *qui mysteria sua absconderit à sapientibus & prudentibus, & revelavit ea parvulis.* Sic *Mattb. X, 14.* ubi dicit: *Sinite parvulos ad me venire.* Postea addit rationem infantibus & adultis communem, quia scilicet talium, tum ætate, tum fidei simplicitate & vera humilitate infantium, est regnum Cœlorum: Nam ibidem *vers. 18.* jubet discipulos suos converti & similes fieri sicut infantes in ulnis gestati, si velint introire in regnum cœlorum: Quapropter hoc versu generalis sententia de omnibus piis, qui sunt infantes & lactentes, vel ætate simul, vel simplicitate

tate

tate tantum & rectitudine cordis, qui efficiuntur sicut parvuli ætate, ut Christus *Matth. XVIII, 13.* loquitur: Et regnum Cœlorum recipiunt sicut infantes, ut est *Luc. XVIII, 16.* Proinde, quod prior interpretatio, intelligit de Christianis adultis & Doctõribus, h. e. Ecclesiæ, pueris, & per universam Ecclesiam recte accommodatur, non modo, quia & ipsi sunt simplicitate hac fidei & sinceritate præditi, sed etiam, quia eandem fidei simplicitatem nobis corporaliter figurant, & sunt typus vere credentium, quemadmodum CHRISTUS *Matth. XVIII, 13.* jubet nos converti & similes effici pueris. Atqui tales ætate simul & sinceritate fidei pueri erant, qui CHRISTO Hofianna acclamabant & celebrationem regni CHRISTI per universam terram solenni auspicio inchoabant. Cæterum hinc nova quæstio emergit, an *Matth. XXI, 15.* tales ætate pueri intelligantur,

qui nondum fari possunt, & adhuc lactantur; an vero grandiusculi? Posterius statuit Thomas cum Anselmo. (1) Quia conceptis verbis benedicebant CHRISTO, ideo poterant fari, & non erant infantes. Unde & Pharisei CHRISTO objiciunt; *audis, quid isti dicant?* i. e. cur hos non compescis, cum iste honor tibi non debeat. His enim verbis non mirantur locutionem puerorum istorum, quasi miraculose locuti sunt; sed inconvenientem verborum ex Psalmo applicationem taxant, & CHRISTUS in defensione, non facit mentionem miraculosæ locutionis, sed tantum defendit pueros, eo quod laus hæc sibi ex prædictione Davidis debeat; Vos etiam, vult dicere, CHRISTUS, audio, & quidem lubens: Nam hic honor mihi debetur, quia is sum ego ille, de quo scriptum est: Ex ore infantum, &c. (2) Secunda ratio hujus sententiæ est. Quia Evangelista non

non

non dicit: Infantes clamasse, sed *παῖδας*, ac quamvis in allegato Psalmo addantur, lactentes; tamen hoc non factis argumenti esse, quod tales non possint fari; Siquidem usque ad tertium Ebraeae foeminæ annum, lactarunt infantes, quemadmodum testatur mater, *2. Mac. VII, 27.* ad filium dicens: *Te in utero novem mensibus portavi, & lactriennio dedi:* Unde *Valesius in Philosophia Sacra Cap. 83.* ex medicorum veterum praescripto docet, perfectam lactationem triennio absolvi. Chrysostomus autē & Theophylactus, & quidam alii Patres, vocabulum *παῖδος*, quod generale est, apud Evangelistam explicant de allegato Psalmo, & accipiunt non de grandiusculis pueris, sed de iis, qui fari nondum possunt, & mammas ad huc fugunt, (1) Qui per naturam fari nondum queunt, à Spiritu S. excitati, miraculose loquantur (2) Huc accommodant, quod *Luc. XIX, 40.* Phari-

saïs CHRISTI discipulos objurgare volentibus, respondet: *si bi siluerint, lapides clamabunt*; uti in fontibus, notante Erasino, est vox Paulopost Fut. *κράζονται* i. e. clamabunt. Hoc ergo videtur Christus de parvulis istis pronunciaffe, qui benedictionem illam gratulatoriam à natu majoribus antea usurpatam in templo post repetunt (3) Quia LXX. & cum iis Evangelista, Matthæus, vocem primam *עללים* reddunt per *νηπίων* i. e. infantum. Respondetur autem Psalmi dictum esse generale, & memorare laudem, tum puerulorum, qui jam fari possunt, tum lactentium, quorum utrique sunt nominis Christiani praecones, illudque celebrant. Et quamvis apud Judæos, saepe primuli adhuc fuerint lactati, atque iidem simul fuerint *עללים* & lactentes, quod prior sententia adstruit; tamen in Psalmo nostro, distinctas laudantium classes constitui, non est dubium; cum

C

cum

cum vox עיללים juncta aliarum ætatum appellationibus opponatur, ceteris ætatibus ut *Jer. VI, 11.* ubi pueritia à juventute distinguitur, & describitur, ab adjuncto studio. Excandescencia mea super parvulum foris, (ludentem foris in platea) & super cœtum juvenum pariter. *1. Sam. Cap. XV, 3.* autem distinguitur hæc vox à lactentibus, à parvulo usque ad lactentem. Qui locus manifeste ostendit עיללים & lactentes non esse eosdem. Aut ergo parvuli, *Matth. XXI, 16.* pertinent ad primam classem ipsum laudantium præconum à Psaltem nostro descriptorum, aut ad alteram. Nos censemus, quod parvulorum, quos Latinus Interpres nominat, respectu Christus allegarit Psalmum. Atque ita prior sententia, supra memorata, textui sit convenientior. (1) Quia Evangelista præcones istos nominat παιδας pueros, i. e. parvulos, voce quidem generali, sed quæ tamen per subsequencia

determinatur, cum Pharisei pueris hinc tribuant locutionem, eamque non ut miraculosam mirentur, sed ut absurdam carpant. (2) Quia vox עיללים respondet huic explanationi. Est enim à Radice עילל molitus est, egit, effecit. Inde עילל & עילל parvulus, recens ablactatus, qui nunc incipit loqui, cogitare & aliquid agere. Hinc ad posteriorem sententiam respondetur, Psaltem quidem memorare præter puerulos jam loquentes, gradatione quadam, etiam lactentes, tanquam eos, qui sermonis & rationis plane nullum habent usum, & tamen vagitu suo, fideque in Christum per initiationis Sacramentum accepta, mirabiliter laudant DEUM in universa terra. Sed ratione hujus classis lactentes includentis negamus, Psalmum à Christo allegari; quia hi non fuerunt ejus ætatis, ut verbis formati potuerint Christo acclamare citra miraculum, cujus hinc nulla habentur indicia,

cia,

cia; & quamvis miraculum esset, parvulum, qui nondum fari per naturam potest, erumpere in laudes Christi: tamen cum Evangelista hæc non dicit, nec nos dicere debemus; & nihilominus admirabile factum illorum grandiusculorum puerorum, quod linguæ eorum regantur à Spiritu S., ut id eloquantur, quod omnem captum suum effugit. Deinde lapides mox clamaturi apud Lucam non denotant figuratè infantes, sed potius proprie sunt accipiendi hoc sensu; Quod in defectu hominum Christum laudantium (per potentiam obœdientialem) etiam elingvibus lapidibus, DEUS loquelam tribuere possit, ut hymnum Christo canant, quem admodum dicebat Baptista, *Matth. III. 9. DEUM è lapidibus posse sibi filios suscitare.* Neque ratio ex Etymologia vocis Græcæ *νηπίων* aliquid firmiter concludit. Nam & parvuli jam loquentes dicuntur *νήπιαι*. Hinc *νήπιοι* dicuntur

habere didascalum, *Rom. II. 2.* Et evidens locus est, *1. Cor. XIII, 11.* Cum essem *νήπιος*, loquebar *ὡς νήπιος*. Tantum de ministris & subditis hujus regni, qui sunt infantes & lactentes.

II. Sequitur *forma & modus gubernandi*, qui & ipse valde est admirabilis, & designatur vocibus ex ore *פה* & constructe *פה* os, oris notat. Metonymicè autem notat Orationem ore prolatam, doctrinam, interpretationem & testimonium, quemadmodum sic usurpatur, *Gen. XLV. 21. juxta os Pharaonis*: ubi *LXX.* habent: *τὰ εἰρημένα*, vel dicta. Sic *Deut. XIX. 15.* os testium duorum dicitur illorum sermo. Junius vertit *ab ore*, & exponit: Inde ab exordio vitæ humanæ fundamenta jecisti agnoscendi & prædicandi decoris tui. Sed Evangelista *Cap. XXI. 16.* reddit: *ἐκ στόματος* ex ore, ut indicetur instrumentum loquentium parvulorum & vagitus lactentium. Neque enim hic inuitur per os suctio lacten-

lactentium ab uberibus pendentium, ut cum Ebræis Calvinus, Piscator & alii volunt, cum ore mammas fugere & brutis animalibus competat; Nec quicquam ad rem facit differentia, quam affert Rabbi David Kimchi à situ diverso uberum in homine supra cor, & in brutis infra cor, itemque ex oris diversitate, quod in hominibus est sublime, in brutis autem pronum. Nam nihilominus habent os, quo fugunt & lactantur. Atque ita & ex eorum ore perficeretur laus DEI contra inimicos, si de providentia DEI in alendis parvulis hic ageretur: Proinde per os h. l. significatur id, quod ore provenit, ut est vagitus in lactentibus, lallatio in pusionibus & sermo in reliquis hominibus. Significatur enim medium & modus, quo regnum gratiæ CHRISTI administratur. Medium est id, quod ore profertur, & prædicatur in laudem DEI, i. e. ipsius verbum & piæ preces ac gratiarum actiones. Modus

autem fit per os & linguam humanam. Verbum enim est medium salutis, quatenus ore profertur, prædicatur & auditur. Verbum autem non est ipsorum, sed DEI, cui accommodantur; Unde David Christo attribuit, quod fundet hoc robur, vel regnum: *Ex ore infantum, fundasti tibi robur.*

III. Regnum gratiæ & est admirabile *ob potentiam & stabilitatem ac diuturnitatem.* Hanc innuit Propheta duobus vocabulis; quorum primum *fortitudinem, potentiam, robur* significat. Licet enim concio Evangelii mundo videatur infirma & stulta, & oratio ministrorum verbi non sit versata in persuasoriis humanæ sapientiæ verbis; tamen se exserit in demonstratione spiritualis sapientiæ, ut Paulus de suo ministerio loquitur: *Coloss. 1, 28. 11, 2.* Schilterus in *Lexico*, citans hunc Psalmum exponit vocem illam per Metonym. adjuncti de regno ipso, & probat ex *1. Pet.*

V 5 11.

V, 11. ubi DEO tribuitur δόξα
 ἡ κρᾶτος, i. e. gloria & poten-
 tia, h. e. ut Latinus & Arabs
 vocem posteriorem reddidit
Imperium. Potest & exemplum
 huius significationis è *Pf. CX, 2.*
 desumi: sceptrum ἰσχυρῶς robo-
 ris tui, vel regni mittit Domi-
 nus ex Sion. *LXX.* reddide-
 runt αἰνον laudem, quam vo-
 cem & *Mattheus Cap. XXI. 16.*
 retinuit, quia scilicet hoc re-
 gnum & hanc potentiam ut-
 pote maxime laudabilem ce-
 lebrant infantes & lactentes.
 Quid enim magis dignum est
 laude, quàm salvare homines?
 quod fit in regno gratiæ
 Christi, & celebratur à pueris
 apud *Matth.* clamitantibus.
Hosianna. Franciscus Junius in
Parallel. hanc dat metaphra-
 seos rationem, quod voces
 robur & canticum & gloria
 & robur per epexegefin so-
 leant in sacris conjungi, ita ut
 se invicem explicent, ut
Exod. XV, 2. Robur meum &
Canticum meum Et *Pfal. XXIX,*
1. Cedite Jehovæ gloriam & ro-
 bur. Similia exempla sunt.

Pfal. LXXXVI, 7. & *Pfal.*
CXVIII, 14. Atque inde Me-
 tonymice putat significari
 robustam vel vehementissi-
 mam laudationem. Possunt
 autem hæ interpretationes
 facile conciliari, si dicatur
 regnum CHRISTI ab adjun-
 cto nominari robur; Cum-
 que ejus effecta sint omni
 laude digna, merito quoque
 fundato illo regno & stabili-
 to, laudem inde oriundam
 fundari & stabiliri. Maje-
 stas enim, quæ est τὸ κρείον
 in piis, includit & potesta-
 tem summam & splendorem
 summum ac cultum. Al-
 terum vocabulum, quo sta-
 bilitatem & potentiam hujus
 regni significat, est verbum
 ἵκω quod significat ponere
 vel jacere fundamentum, vel
 fundare. *LXX.* autem &
Matth. verbo exegetico red-
 dunt: κατηρτίσω, perfecisti, ut
 ostendat metaphoricam ver-
 bi in Psalmo fundare signi-
 ficationem, quæ notatur rei
 fundatissimæ & compositissi-
 mæ solidissima & instar fun-
 damen-

damentorum constitutio, ac perfectio. *κατηρτίζειν*, est alia Metaphora sumta à numero, quem Geometræ *ἄρτιον* vocant, qui suis partibus æqualis est, qualis est numerus par, qui in suas species æqualiter dividitur; Hinc τὸ ἄρτιον idem est ac τὸ τέλειον, quod omnibus suis partibus constat, ita ut ne quid desit nec superfit. Unde 2. *Tim. III, 17.* ἄρτιος ἄνθρωπος perfectus homo: & *κατηρτίζειν* perfectū reddere, ex amissi aptare & perfecte parare *Rom. IX, 22.* Quare LXX & Evangelista cum vertunt, *perfecisti laudem*, idem est ac si dicant; Insigniter declarasti laudem tuam, circa summam, quam Majestas in regno gratiæ sibi postulat, vel omnimodo laudabilem fecisti potentiam regni, tui. *Tertull. de anima Cap. XIX. legit: Expedivisti laudem.* Sed inquis, quomodo per infantes & lactentes DEI potentia stabiliri potest, cum DEUS sit essentialiter potens, nec indigeat ullius in

potentia confirmationis? R. Hic non de essentiali potentia DEI, sed de potentiæ exercitio & regno, quod CHRISTUS per contempta hæc organa administrat, ita, ut ipsa tantum os accommodent, vagiant, loquantur, doceant; & fundamentum firmum nec non insigniter laudabile esse, CHRISTI regnum, demonstrent: Ipse autem dat successum, & fundat regnum suum, utpote qui solus est fundamentum & lapis angularis suæ domus, quæ est Ecclesia. *οὐκ ἐστὶν ἄλλο θεμέτιον*
 IV. Regnum gratiæ est & admirabile quoad confusionem hostium propter inimicos tuos. Quibus verbis exponitur & causa impulsiva firmiter fundati regni hujus & simul modi foundationis. Propterea enim adeo firmat & stabilit hoc regnum, ut hostes confundat. Confundit autem illos per imbecillem ac infandam turbam, quod tanto ignominiosius est Satanæ.
 Cæte-

Cæterum inimicos describit (1) à studio צוררים enim sunt, qui aliquem manibus pedibusque vinctum coarctare volunt & perdere. Tale ergo studium adhibent hi inimici, ut vel vi externâ & vinculis constringant hos infantes, & etiam insidiarum & hæreseos laqueis implicent. Veritas enim semper habet adversarios, non tantum illos tetricos Tyrannos, sed & sapientulos illos obtrectatores, qui crucem CHRISTI vel doctrinam de cruce, morte, & sacrificio CHRISTI evacuant vel inane reddunt, per sapientiam & eloquentiam humanam, & per vim atque efficacitatem DEO per humile verbum in cordibus piorum operanti debitum, ad obruffam humanarum argutiarum revocant, atque ob simplicitatem, stultam putant Evangelii prædicationem, quemadmodum Paulus 1. Corinth. 1, 27. 28. ex professo hunc locum tractat. Tales ergo super-

bos Spiritus, & ut sibi videntur Atlantes, & Christus per lingvas infantium & lactentium vindicat & jure quodam vindiciarum utitur. Sicut enim Satanas ad corroborandum regnum suum, serpentem tanquam ὄφρανον sibi conveniens obsedit in Paradiso, & lingua ejus usus est ad seducendum hominem Gen. III, 1. imo & adhuc hodie Spiritus mendax est in ore Pseudo-Prophetarum 2. Chron, XVIII, 21. Ita DEUS os ore retardat, & sapientiam humanam confundit per stultam prædicationem, quâ salvat credentes, & eligit infirma, ignobilia, & pro nihilo habita in mundo, ut ne gloriatur ulla caro coram eo. Videtur modo præludium aliquod hujus rei, in regali illâ pompa, quam Christus adornat ingressurus in urbem Hierosolymam: ibi tota multitudo discipulorum CHRISTI ut est Luc. XIX, 37. h. e. in ipsum credentium magna hilaritate & Spiritus alacri-

alacritate ipsi applaudunt, hymnumque votivum concinunt; sed Pharisei pro ridiculo habent hoc schema ingressus super asinam; & simplices illos CHRISTI præcones, increpatione DEI dignos censent. Mox ubi & pueri in templo eandem celebrationem Christi integrant, iterum illam tanquam absurdam & stultam reprimendam judicant. (2) Hostes & hi depinguntur *ab atrocitate*. Inimicos tuos צורריך. Adeo enim sunt superbi, adeo dementes, ut ipsi CHRISTO bellum indicant, quod non tantum factum est, quando Judæi ipsum in crucem adegerunt, verum & cum ipsius discipuli & Christiani variis injuriis & suppliciis fuerunt affecti, hodieque fit, cum CHRISTUS in membris suis mysticis crucifigitur. Quod enim illis fit, hoc ipsum CHRISTUS sibi factum esse existimat *Zach. II, 8. Qui tetigerit vos, tangit pupillam meam.* Ra-

tio est, quia verbum, quod hostes persequuntur, non est ministrorum & Confessorum; Sed CHRISTI, qui per illud fundat suum regnum. Ejus ergo gloria agitur, ejus nomen immittitur, cum à Tyrannis & hæreticis pii adverfa patiuntur.

V. Mirabile est denique regnum *ob victoriam*. Hic enim est effectus & fructus regni gratiæ, ut aboleatur & destruat regnum Satiænæ. Emphaticis autem vocibus & hostem ipsum & victoriam describit. Hostis nominatur אויב Osor vel inimicus à א. אויב adversatus & inimicatus est. Et hoc nomine κατ' ἐξοχήν appellatur Satanas, qui cum semine, suo i. e. cum impio mundo Tyrannis & hæreticis est ἀσπονδος hostis CHRISTI & membrorum ejus, sicut in primâ promissione habetur, ubi ab eadem hac radice denominatur duelum, quod inter serpentem & mu-

& mulierem, inter semen
ejus & semen mulieris futu-
rum sit: *Et inimicitiam ponam
inter te.* Hinc 1. *Pet. V, 8.* Sata-
nas dicitur ἀντίδικος adverfa-
rius. *Apos. XII, 9.* ὁ δράκων ὁ
μέγας, ὄφις ἀρχαῖος, ὁ καλέμε-
νος Διάβολος, καὶ ὁ σατανᾶς, i. e.
*Draco magnus, serpens antiquus,
qui vocatur Diabolus & Sata-
nas.* Altera autem appella-
tio conatum Satanæ descri-
bit. *קנח* enim est Partici-
pium in Hithpael, & notat ul-
torem fui, qui se ulcisci cona-
tur, à Rad. *קנח* ultus est. In-
nuitur ergo conatus Satanæ
& in eo quidem (1) *Crudeli-
tas summa.* Nam quia ægre
fert Satanæ, quod per tam
imbecillum cœtum debeat
superari, ideo totus irarum
flammis exardescit, & furi-
bundo impetu ruit, omnes-
que modos excogitat, qui-
bus se ulcisci, & gloriam DEI
imminuere, salutem homi-
num pessundare, & regnum
suum instaurare possit: ideo-
que vadit & assumit alios
septem nequiores Spiritus,

Luc. XI, 26. si forte illic, unde
ejectus est, recuperare locum
possit. In eodem conatu (2)
fumus & fastus apparet.
Tam enim impudens hic est
Spiritus, ut semel pulsus re-
deat, semel victus audeat re-
ciprocare pugnam, & quod
amisit postliminio acquirat.
Sic fuit nobis jam depictum
ingenium hostis & studium.
Victoria autem, quæ de hoc
hoste deportatur, *describitur
à modo & eventu victoria;* E-
quibus ille est abolitio ho-
stis; hic autem libertas &
quies subditorum CHRISTI.
Sic enim ait Psalter: *ut qui-
escere & cessare facias inimicū seu
osorem.* Vox Hebræa *להשבות*
est à *שבת* quievit, cessa-
vit: In Hiphil *השבות* cessare
fecit: item abstulit, abole-
vit, & abolendo quietem
restituit. Respexisse autem
Davidem ad primam pro-
missionem in Paradiso da-
tam, ostendit (1) Appellatio
inimici (2) Exegetica Phra-
sis, quæ contritio capitis ser-
pentini redditur in N. T.

D

Quod

Quod enim David hîc eloqvi-
tur per verbum נִבְּשָׁה id
Apostolus *Hebr. II, 14.* expli-
cat verbo καταργεῖν , quod si-
gnificat impotentem redde-
re, abolere: ἵνα καταργήσῃ , ut
aboleret eum, qui habebat
mortis imperium, h. e. Dia-
bolum, & liberos redderet,
quotquot metu mortis, per
omnem vitam obnoxii erant
servituti. Sic & *1. Cor. XV,*
26. $\text{ἔχρατος ἐχθρὸς καταργεῖται$
 ὁ θάνατος . *Ultimus hostis mors ab-*
olebitur. Johannes autem effert
per verbum λύειν : In hoc ap-
paruit Filius DEI λύσαι , dis-
solvere opera Diaboli *1. Job.*
III, 8. Ex qua voce compo-
situm verbum LXX. h. l.
usurpant: $\text{καταλύσαι τὸν ἐχθρὸν}$
 καὶ ἐκδιτηκτῆν . Quamvis au-
tem contritio capitis serpen-
tini & acquisitio victoriæ, à
solo Christo immediate fit
peracta, tamen ejus applica-
tio fit per verbum, in quo
fruitio hujus victoriæ nobis
offertur, ita ut virtute victo-
riæ CHRISTI per fidem ap-
prehensa, pii non possint à

Satanâ subverti; quia robur
ejus à CHRISTO abolitum
est, quod annunciat ex ore
infantium & lactentium.
Unde Paulus *Rom. XVI, 20.*
usum & fruitionem victoriæ
hujus Christianis tribuit:
DEUS conteret Satanam sub pe-
dibus vestris citò. In hac au-
tem applicatione victoriæ
CHRISTI etiam modus
vincendi mirabilis est, ut
ipsa verbi humilitate & vin-
catur, & destruat fastus
Satanæ. Sicut Paulus *1. Cor.*
I, 28. itidem de hoc modo
verbum καταργεῖν usurpat,
cum dicit: DEUM eligere
ea, quæ sunt in mundo nihil,
h. e. quæ nihil æstimantur,
ut ea, quæ sunt, aboleat, *Es.*
XIX, 24. & *vers. 19.* dicit:
 Ἀπολωῶ perdam sapientiam
sapientum, & mox excla-
mat, ubi sapiens, ubi scriba?
Atque ex hac abolitione ori-
tur piis quies & immunitas
à peccati dominio, Diaboli
Tyrannide, mundi per-
ditione, tandemque seque-
tur æterna κατάπαυσις quies
& sab-

& sabbatismus, uti *Cap. IV. Epist. ad Hebr. vers. 9. & 10.* no-

Vers. 4. QVONIAM

Hic Versus varie explicatur ab Interpretibus, & ab aliis quidem *ad antecedentes*, ab aliis *ad consequentes versus* refertur, pro diversa acceptione particulæ $\kappa\alpha\iota$, quæ vel causalis est, vel illativa, vel aduersativa. Eorum, qui *ad antecedentia* referunt, tres sunt potissimum classes. Nam I. Hebræi ajunt, docere Psalten, quod non tantum ex providentia DEI infantibus & lactentibus alimentum procurantis, verum & multo magis ex aspectu corporum cœlestium, magnificentia Creatoris intelligatur; Et hinc illi, & qui DEUM negant, confundantur. Sed ut ante diximus, non agi h. l. de homine in genere, sed de CHRISTO $\Theta\epsilon\omicron\upsilon\varsigma \rho\acute{\omega}\tau\omega$, Rege nostro, cui ut vero DEO creatio hîc adscribitur.

Secunda Classis est Patrum, in primis Latinorum: Hieronimi, August. & aliorum, qui

minatur, ubi erit sabbathum, ex sabbatho, *Es. LXVI, 23.*

VIDEBO COELOS.

cœlos de regno Christi Spirituali, quod *Matth. XIII, 43.* & alibi, sæpius regnum cœlorum dicitur, exponunt, & quamvis jam ante David de regno illo egerit, tamen jam iterum $\kappa\alpha\iota \epsilon\pi\alpha\nu\omicron\rho\theta\omega\sigma\iota\nu$ doctrinam illam tractari docent, ad amolendum scandalum, de vilitate & abjecta, ut extrinsecus apparet, hujus regni specie, in quo sint infantes & lactentes. H. E. simplices, & qui coram mundo stulti apparent. Verum enim vero jam Davidem alti ascendere & extollere subditos hujus regni, & describere ab alia forma priori plane contraria, nempe ab interna gloria, quæ splendescant, ceu Luna & stellæ. Sic autem adornant $\alpha\nu\acute{\alpha}\lambda\upsilon\tau\iota\nu$, ut (I) dicant causam efficientem hujus regni mystice proponi, quæ est Spiritus S. qui *Luc. XI, 20.* digitus DEI vocatur, interprete, *Matth. Cap. XII, 28.*

D 2

Hujus

Hujus opus est Ecclesia, quam ille multiplicibus donis exornat, propter quæ in plurali numero digitorum DEI fiat mentio, non quod plures sint Spiritus, vel digiti DEI, sed quod multa & diversa sint charismata, quæ in his cælis operatur unus ille Spiritus. *Ephes. IV, 6.* Hinc deducunt invictam stabilitatem hujus regni, quod non possint subvertere ulli hostes, cum diu etiam oppugnantes tandem fateri cogantur cum Magis Ægyptiacis; *Exod. VIII, 9.* *Digitus DEI hic est*, i. e. opus omnipotentiae divinæ. (2) Porro volunt institui enumerationem præcipuorum Ecclesiae membrorum, nempe *docentium*, qui comparantur stellis, quia sunt lux mundi, *Matth. V, 14.* & fulgebunt sicut stellæ, *Dan. XII, 3.* ac *discipulorum*, qui lunæ assimilantur, eo quod omnem suum splendorem ac vigorem, à CHRISTO justitiæ sole, uti tota etiam Ecclesia mutuuntur, quemadmodum *Apoc. XII, 1.* Ecclesia

amicta sole sub pedibus suis habet lunam, seu auditores, qui ad Doctorum pedes sedent, & coronam in capite contextam è duodecim stellis, quæ notat chorum duodecim Apostolorum, ipsisque in Evangelii ministerio succedentium. Hanc sententiam etiam amplectitur Lutherus noster, eumque secuti Gesnerus & alii complures. Rationes autem hujus interpretationis afferunt illas, quarum (1) *petitur ex adsignatione futuri verbi: Videbo.* De illo cælo loquitur David, quod ait se visurum esse: sed stellarum cælum, vel firmamentum jam tum videbat & viderat, non demum visurus erat. Ergo de cælo stellato, vel firmamento non loquitur David. (2) *Ex scopis Davidis ratio petitur.* Cælum, de cujus visione David in persona filii hominis gaudet & gratulatur, non est cælum hoc aspectabile, vel firmamentum; sed cælum illud, de quo loquitur David, est tale, ut de ejus visione sibi gaudeat Ergo

at. Ergo cœlum non est firmamentum. Majoris probatio est, quia visio firmamenti communis erat Davidi cum impiis, imo cum brutis. (3) *Ex pronominis possessivo.* David eos cœlos intelligit, qui sunt DEI, i. e. in quibus DEUS habitat gloriose, quique soli ipsi serviunt. *Videbo cœlos tuos.* At firmamentū non est sedes beatorum, in quo DEUS gloriose habitat, nec soli DEO servit, sed nostris etiam usibus destinatum est. Quare firmamentum non est cœlum de quo hic loquitur David. (4) *Ab omissione Solis.* De illo cœlo non loquitur David, qui habet Solem creatum. Nam Psaltes omittit mentionem solis, & memorat tantum lunam & stellas à Christo fundatas; quia Sol horum cœlorum non est creatus, sed ipse Sol justitiæ est Creator rerum omnium. Ergo firmamentum non est cœlum hoc, de quo Psaltes loquitur. (5) *Ab interpretatione Apostoli, qui Hebr. II, 5. orsus est Psalmi hujus ex-*

plicationem, hos cœlos vocat orbem terræ futurum, i. e. spirituale regnum, quod demum in vīta futura complebitur. Veruntamen hæ rationes non stant ἀνεύσχετοι, præsertim quod attinet priores IV. in quibus & ipse Lutherus concedit, non ita multum esse roboris. Nam (1) & verbum futurum sæpe apud Hæbræos per Enall. temporis pro præsentis accipitur, ad minuendum rei, de qua sermo est, tenorem continuum & perpetuum. Potest itaque etiam H. L. verbum illud verti: *Si video, vel quia, vel cum video.* Hinc (2) ad secundam rationem responderi potest, non contineri his verbis gratulationē futuræ gloriæ, sed potius professionem fidei de admiranda unione duarum naturarum in CHRISTO, quæ hic homo est creator cœli & terræ, ita ut licet exinaniatur paulisper, tamen postea super omnem creaturam exaltetur. (3) Pronomen affixum non notat necessario

D 3

usum

ufum habitationis, vel gloriosam præsentiam cœli divinam, tum relationem ejus ad hunc finem, ut ipse verus DEUS agnoscat. Quemadmodum hoc possessivum *Tuus Ps. LXXXIX, 12.* & cœlis & terræ additur, & statim explicatur de creatione. *Tui sunt cœli, & tua est terra, orbem terrarum & plenitudinem ejus fundasti.*

(4) Neque hic omiſſa mentio ſolis, neceſſario arguit, de cœlo hujus mundi non agi. Nam ut mittamus alias rationes, cur Sol creatus à Davide non fit commemoratus. Illa, quam Chryſoſtomus & Euthymius afferunt, non eſt inconveniens; quia ſcilicet facta mentione unius luminaris, ſubintelligatur etiam alterum, utpote, cum unum minus, alterum majus, & illud ab hoc fœneraticum accipiat lumen.

(5) Denique rationem Lutherus in primis urget, quæ propterea altioreſem indaginem requirit. Invenimus autem & alios futurum or-

bem terrarum accipere, de regno gloriæ, alios, quos ſequitur Lutherus de regno gratiæ. Sed rectius Chryſoſtomus de omni regno CHRISTI, non tantum gloriæ in futuro, nec tantum gratiæ in hoc mundo, verum etiam omnium rerum potenti ſubjectione, quæ & in hoc & in illo mundo fit; quemadmodum Chryſoſtomus phraſin Apoſtolicam explicat, allato exemplo loci, *Rom. V, 14.* ubi Adam à Paulo dicitur, imago futuri CHRISTI, qui tamen tempore Pauli præſens erat. Ita licet Paulus dicat, orbem futurum CHRISTO ſubjectum iri, non tamen loquitur ſimpliciter, & ratione ſuæ ætatis, ſed comparative, & tantum reſpectu Davidis temporis, atque antegreſſarum Prophetiarum, quas Paulus ibi allegat. Atque ita orbis futurus terrarum, eſt orbis de creatura CHRISTI, cui CHRISTUS potenter dominatur. Hæc expli-

expli-

explicatio seqq. rationibus nititur: (1) Quia continuo in verbis Apostoli asseritur, *subjectio omnium sub pedes CHRISTI*, ad quæ pertinent oves & boves, & pecora campi. Sed neque in regno gratiæ, neque in regno gloriæ, seu vita æterna, sunt oves & boves, & pecora campi. Et per orbem futurum, Paulus intellexit, non tantum regnum gloriæ & gratiæ, verum & regnum potentiæ, quo omnes creaturas CHRISTUS gubernat. (2) Ille mundus est CHRISTO subjectus, de quo Paulus & antea locutus fuerat. Ait enim Paulus, de quo loquimur. Sed de præfente etiam mundo locutus fuerat Apostolus paulo ante, *Cap. 1, 2. quem constituit heredem omnium; Et vers. 6. rursus cum introducitur primogenitus in orbem terrarum, sc. hæres & Dominus orbis.* Hæc autem introductio facta est, tum, quoad κτῆσις domini in ipsa incarnatione verbi, quæ illud af-

sumtæ carni infinita dona communicavit, tum in exaltatione, quando CHRISTUS secundum carnem ratione *χρησεως* ingressus est in gloriam suam, & dominium illud in hæreditatem suam pleno usu exseruit. Proinde cum CHRISTI regnum non tantum sit gratiæ & gloriæ; verum etiam potentiæ in universas creaturas, non est necesse, ut per futurum mundum statim aut gratiæ tantum, aut gloriæ regnum duntaxat intelligatur, sed in genere accipi debet omne exercitium potestatis in cælo & in terra, datæ CHRISTO, secundum humanam naturam, *Matth. XXVIII, 18.* Secundum hanc potestatem renovantur homines conditi in CHRISTO ad bona opera, *Ephes. II, 10.* fiuntque nova creatura, ita ut Apostolus exclamet, *2. Corinth. V, 17. Vetera præterierunt, ecce nova facta sunt omnia.* secundum hanc potestatem & in fine mundi creabit novos cælos, & no-

& novam terram, & in sede beatorum gloriam suam immensam exerit, ita ut adoretur ab Angelis. Denique secundum hanc potestatem omnes sibi creaturas habet subjectas, & dominatur in medio inimicorum. Atque ita orbis terrarum dicitur futurus, propter dominium respectu temporis Davidici futurum; Dominium inquam, quo CHRISTUS secundum carnem orbem rectorus erat.

Ad tertiam classem interpretum pertinet explicatio Nazianzeni & Lyrani, quæ & Luthero non displicet. Nam cœlos exponunt de vita æterna, eo quod Apostolus orbem terrarum futurum CHRISTO subiectum indicat, & David gaudeat, fore, ut cœlos hos videat. Vitam autem æternam futuram & gloriam ejus aliquando visum iri à credentibus, ideoque per cœlos hinc intelligi cœlestem illam & beatam sedem, in qua glo-

riose CHRISTUS præsto est. Præterea nituntur hi interpretes loco, *Es. LXV, 17.* ubi DEUS promittit: *Ecce ego creo cœlos novos & terram novam, & non erunt in memoria priora, sed gaud-bitis & exultabitis usque in sempiternum in his, quæ ego creo.*

Atque ita hæc verba continent tertiam rationem, petitam à regno gloriæ, uti prima à regno potentiae, & secunda à regno gratiæ sumpta demonstravit: *Quam admirabile esset nomen DEI.* Ut autem à tertia ratione explanationis incipiamus: *R.* Nos concedere quidem verba *Esaiaë*, non solum Metaphorice accipienda esse, de novo statu Ecclesiæ in his terris, & inchoata hominum peccatorum renovatione, uti aliqui explicant, sed & historice & literaliter de novo cœlo & nova terra, in fine mundi creanda, quia *Petrus 2. Pet. 111, 10.* ubi dixit: *Cœlos hujus mundi transituros, expresse testatur, vers. 13. cœlum*

lum novum & terram novam à nobis expectari juxta promissionem. Eaqve promissio nulli nisi apud *Esa. LXV, 17. & LXVI, 22.* extat. Veruntamen de tali cœlo his quoque verbis Psalmi agi, non sequitur. Nam repugnat explicatio rerum videndarum in cœlis, quia Psalter enumerat lunam & stellas, quarum in regno gloriæ nullus erit usus, ut est *Apoc. XXII, 5. Nox illic non erit, neque opus est lumine lucernæ, neque lumine solis, quoniam DEUS illustrat illos.* Prioribus autem duabus rationibus, quarum una ex futura verbi videre significatione; altera ex verbis Apostoli, orbem futurum dicentis **CHRISTO** subjectum iri, petitur, opponi possunt ea, quæ jam in præcedentis interpretationis examine, ad illas responsa sunt.

Ut ergo nostram tandem exponamus sententiam, putamus, hunc versum conferri debere (1) cum vers. 7. *bugus Psalmi*, quia quæ huc vo-

cat opera digitorum DEI, ibi nominat opera manuum DEI (2) cum epistola *Heb. II, 9.* **JESUM** illum cernimus honore & gloria coronatum; ubi in Præsenti redditur verbum: Cernimus, quod in Psalmo nostro est Futurum videbo (3) cum ejusdem *Cap. II. ad Heb. v. 10.* ubi explicatur hic Psalmus; & à victoria destructi inimici, vers. 3. à Psalte celebrata, **CHRISTUS** vocatur ἀρχηγός salutis, quia non tantum auctor & caput, sed & consummator est salutis, multos Filios in gloriam adducens; & præterea adhibetur ratio, à causa προηγμένη incarnationis **CHRISTI**, & œconomia salutis nostræ. Dicitur enim, decuisse Christum ἀνάκτησιν, i. e. reparationem hominis, quia ipse esset omnium factor & Creator. Propter quem sunt omnia hæc, & per quem sunt omnia hæc. Proinde existimamus, his verbis describi salutarem notitiam Davidis, & piorum omnium, quam
 E
 habent

habent de admiranda unione & communionem duarum naturarum in CHRISTO, dum vident, quod *hic homo*, qui est Mariæ Filius, & nobis, excepto peccato, per omnia similis, fit ille ipse, à quo sc. cœli & digitorum ipsius opera, qui lunam & stellas, ac reliqua omnia creavit: Potest autem particula *ὅ* vel esse *ratiocinativa*, & exponi pro illo, *Idcirco*; sicut exempla hujus significationis habentur *Gen. XXII, 17. 1. Sam. II, 25. Jer. IV, 18. vel conditionalis*, notans ac *idem*, *quando*, *cum*, *quod*, *si*, *postquam*, uti *Gen. XI, 14* & alibi sæpius hæc notio reperitur. Si prior retinetur significatione voculæ hujus, tum *vers. 4* pertinebit ad præcedentia, quod sc. ex admirabili nomine CHRISTI & supercœlestis gloriæ usurpatione, & stupendâ Ecclesiæ gubernatione, tanquam ex effectu cognoscatur ipsum fundamentum harum fun-

ctionum, & hujus admirabilis splendoris, nempe unionis personalis, & assumptio hominis in personam τῆς λόγῃ, hoc sensu: Qua propter video, ò CHRISTE tuos esse cœlos & tuarum manuum opera esse; Hinc cognosco te esse Creatorem rerum omnium, & non tantum nudum hominem. Sin posterior recipiatur significatio voculæ *ὅ* tunc versus hic cohærebit, cum toto *vers. 1. 99.* systemate, ut hic sit sensus: Cum video cœlos tuos, & lunam & stellas à te fundatas, & cogito, te esse Creatorem omnium, tum subit animam mirari mirabunda hæc cogitatio, quid te moverit, quod adeo dignatus sis humanam naturam, ut illam assumeres, ita ut fieres Θεάνθρωπος & tu Filius hominis simul esses Creator cœli & terræ. Hanc explicationem priori præferimus, & in hoc versu incipimus partem secundam Psalmi.

PARS

P A R S II.

Proinde hinc incipit Pfaltes partem secundam, qua admirationem & exaltationem regni ipsius deducit, ex unione & communiōne duarum naturarum in CHRISTO, & deinde statum CHRISTI secundum humanam naturam genuinum explicat, atque indicat ordinem, quo ille ad hanc Majestatis excelſitatem fit exaltatus. In priori membro hujus partis, David explicatius repetit stupendam illam fidelium admirationem, ejusque objectum facit mirabile unionis personalis mysterium. Ea admiratio expressis verbis non ponitur, sed ellipticā oratione per apophorēsin, affectibus concitandis accommodatam, subinnuitur. Proinde hinc post verba illa, cum video cælos tuos, subintelligenda sunt verbi gratia ista: Tunc obstupesco, & admirabundus dico & confiteor, quid est ho-

mo! Secundo: Causa hujus admirationis impulsiva est consideratio ac meditatio unionis & communionis duarum naturarum in Christo, quod objectum est hujus admirationis. Meditatio autem & consideratio hujus mysterii exponitur verbo *videre*, translatione facta ab oculis corporis ad mentis aciem, quā admirabilitas Filii DEI, suam *ὑπόστασιν* communicantis assumptæ carni, cognoscitur & creditur. Epistola ad Hebræos hunc Psalmū allegans, usurpat verbum *βλέπειν* & opponit verbo *ὁρᾶν*, quo intuitivam notitiam significat, ubi ponit tacitam objectionem. At nunc nondum *ὁρᾶμεν* videmus, ipsi omnia esse subjecta. & autem, nos nihilominus *βλέπειν* i. e. ex verbo DEI cognoscere exaltationē: quamvis enim intuitus gloriæ CHRISTI, in vita æterna demum futurus sit, & in fine mundi

mundi tandem CHRISTUS de ultimo hoste, qui est mors, triumphaturus sit, quoad membra sua mystica; tamen Christiani cernunt h. e. agnoscunt & persuasissimi habent, quod CHRISTO omnia subiecta sint, & credunt, ultimum illum hostem tandem destructum iri. Atque ita vocat græcum βλέπειν, & si Latine volumus exprimere, vocabulum *Cernere* est commodissimum, quo vox Hebræa כִּנָּה redatur. Nam cernere, est persuasum habere, & Auctore Scaligero factum videtur ex Græco κρινω. Deinde unita, & communionem hanc inter se habentia, sunt duo: DEUS & homo, Dominus Cæli, & Filius hominis. DEUM supra dixit Jehovam: hic autem dominio in cælum & stellas, nec non ex illarum creatione describit Psaltes. Dominium notat pronomine possessivo: *Cælos tuos video.* Nam DEUS habet absolutum dominium in omnes

creaturas. Adducit autem creaturarum exempla omnia, sed maxime insignia, nempe cælum & stellas; (1) Ut tanto magis exaggeret mirabilissimam conjunctionem duorum summe disparatorum, quæ tantum inter se distant, quantum cæli & stellæ à terra. (2) Ut notet qualitatem hujus domini, quod nempe à nullo alio dependeat, (quis enim est Regum Dominator in Cælis, excepto DEO?) ideoque summum, quo nullum majus & absolutum sit; quod non solum in terrestria, sed etiam in cælestia, atque sic in totam universitatem exercent potestatem suam, & propria etiam habeat nobilissima opera cælum & stellas. Hoc autem dominium deducit ex creatione cæli & stellarum, quam notat (1) Mentione effectuum, vel operum. Nam cælos vocat opera digitorum DEI. Quemadmodum autem facere, cum DEO tribuitur, res, quæ non sunt, faciunt ut

et ut

re, ut sint, significat idem quod creare: Ita quoque DEI tali efficientia opus productum est creatura. (2) Deinde adjungit & creationis divinæ proprietatem, quæ est omnipotentia & omniscientia, sive sapientia immensa; quam *συμβολικῶς* innuit, voce *digitorum*. Nam digitus cum DEO tribuitur, significat potentiam ipsius & virtutem, ut *Exod. VIII, 19. Digitus DEI est hoc.* De quibus verbis *Tertull. Lib. 4 contra Marcion. Cap. 26.* sic disserit: Virtutem creatoris (Magi) appellarunt digitum DEI. Hoc & CHRISTUS ostendit commemorator, non obliator vetustatum, scil. suarum; Virtutem DEI digitum dixit. *Infra v. 7.* Creaturas vocat opera manum DEI, quia omnes sunt digiti, sunt manus, ita ut qui digitos dicit, etiam manum totam dicat. Est autem in utraque *Πηρὰσι* eadem Metaphora, seu *ἀνθρώπων ὡς αἰετῶν*, quia ut manus ex digitis constans, in ho-

mine est instrumentum instrumentorum, sicut *Philosophus Etb. Lib. 8. Cap. 3.* vocat, de quo *instrumenta alia parat, ejusque adminiculo sapientiam suam prodit in artificiosis operibus efficiendis, uti Galen. Cap. 3. de usu partium* extollit usum manuum. Ita DEUS per omnipotentiam suam in producendis creaturis est efficacissimus, omniaque sapientissime operatur. (3) Denique & adjicit modum creationis stellarum, quem exprimit verbo *ἵσθαι* fundare, quod significat immobiliter aliquid stabilire, ut tamdiu subsistat, quamdiu artifex ille vult durare. Notatur ergo perpetuitas periodica in corporibus cœlestibus, quæ non sunt obnoxia his vicissitudinibus, quibus sublunaria sunt exposita; & quamvis appensæ quodammodo videantur stellæ, tamen non decidunt, & perpetua lege cursus suos absolvunt. Unde *Job. XXXVII, 18.* Cœlum dicitur ære fustum; &

Poëtæ Homero dicitur ἀσφαλὲς πολυχάλκον. i.e. æratum.

Hæc fuit naturæ divinæ descriptio.

Vers. 5. QUID EST HOMO, QVOD MEMOR ES EJUS.

Seqvuntur appellationes humanæ naturæ à CHRISTO assumptæ. (1) Prima est אָנָשׁ *homo*. Altera autem בְּרֵית בְּנֵי אָדָם *filius hominis*. Vox אָנָשׁ significat *hominem*, & quidem cum accidentariæ simul conditionis respectu consideratum, quatenus ille est variis miseriis expositus: & si in se consideretur, desperatæ & conclamatæ salutis. A Radice אָנָשׁ doluit, æger fuit & miser. Hoc vocabulum Evangelista *Job. Cap. 1, 14.* videtur per vocem carnis exprimere voluisse; Synecdoch. significat totum hominem anima & corpore constantem, & variis simul infirmitatibus obnoxium, ut *Ef. XL, 6.* & *1. Petr. 1, 24.* *Omnis caro fœnum.* Eusebius autem *Lib. II. de Preparat. Evang. Cap. IV.* deducit à אָנָשׁ quod oblivisci significat, & אָנָשׁ exponit obliviscentem. Veruntamen hæc Etymologia licet multis

arrideat, non tamen est propria, sed allusiva tantum, & in verba Davidis infertur potius, quam inde certe deducitur. Licet enim David dicat, DEUM esse memorem hominis, non tamen necesse est, memoriam DEI proprie accipi, & ratione hujus acceptionis institui ἀνὴρ θεοῦ, quæ DEUS memor & homo obliviscens opponatur, cum memoriæ metaphora, quam paulo post explicabimus, non minus proponat ἀνὴρ θεοῦ, quæ est inter DEI dignationem & hominis miseriam. Judicium hoc est Lutheri, *qui fol. 234. Tom. 3. Witt. b.* Nescio, inquit, an Propheta memorē DEUM ideo dixerit, ut vocis אָנָשׁ etymologiam significaret, an Eusebius ex verbo meministi (vocem אָנָשׁ etymologisavit? Addit præterea Lutherus in sequentis ἀνὴρ θεοῦ fore oppositionem obscuram, vel nullam

nullam filii hominis cum aspectu DEI, si hæc quoque vox proptie sumatur.

Secunda appellatio est *filii hominis*, quam aliqui exponunt de servili conditione CHRISTI in statu exinanitionis, præsertim quoad ultimos ejus gradus, ubi CHRISTUS fuit novissimus virorum & contemtissimus, ita ut nullus ei fuerit aspectus; sed significatio ista phraseos, qua filius hominis dicitur plebejus, non est perpetua, sed tantum *ἐξελικὴ*; & valet, cum de comparatione hominum sumatur & inferiorum est sermo. Nam ita in sacris solent distingvi filii hominū, i. e. ignobiles & viles, à filiis virorum, i. e. divitum & honoratorum, ut est *Ps. LXII, 10. Vanus filii hominum, mendaces filii virorum, in stateris, si appendantur, vanitate leviores sunt pauper.* Et *Ps. XLIX, 3* explicatio statim subjicitur; *Audite hoc omnes populi, filii hominum pariter & virorum, simul divites & pauperes.* Jam vero

h. l. non fit comparatio hominum cum hominibus, sed hominis cum DEO, ideoque absolute hæc phraseos exponenda est, de eo, qui ex Adamo suam habet originem, & naturam cum aliis hominibus *ὁμοουσιον*, coessentialem, vel specie eandem, quemadmodum Ezechiel sæpius dicitur filius hominis. Et Chaldæo interpreti solenne est, pro homine ponere filium hominis, nempe, quia & in sacris, promiscue ejusmodi appellationes sumuntur, ut *Num. XXIII, 19. Non est DEUS, quasi homo, ut mentatur, nec quasi filius hominis, ut mulctur.* Item *Jobi XXV, 6. Quanto magis homo putredo & filius hominis vermis.* Præmissa hac vocum explicatione porro dispiciendum est, an voces istæ sint *collective*, de specie humana; an vero *singulariter* de certo individuo sint accipiendæ? Qui *collective* sumunt, vel intelligunt hominem & filium hominis, de Adamo primo, & omnibus ejus posteris, ut à DEO creati sunt,

sunt,

funt, vel de iisdem, quatenus in CHRISTO sint restaurati, & postliminio receperunt jus ac dominium in creaturas: Verum utraq; sententia, jam ante à nobis est refutata. Proinde voces istæ sunt singulariter accipiendæ, de uno certo homine, qui tamen naturam cum aliis communem habet: Ille autem homo est CHRISTUS, qui assumpsit naturam humanam ἐν αἰτώμῳ, ut loquitur Damasc. h. e. individuum & numero diversam, non autem specie distinctam à natura aliorum hominum. Rationes quod homo h. l. significet individuum, peti possunt. (I) Ex contextu, quia *vers. 6.* dicitur ille homo esse à DEO derelictus paulisper, & postea gloria ac honore coronatus. Sed derelictio illa, ut & exaltatio talis, nulli homini convenit, nisi CHRISTO. Nullius enim hominis alius natura, personaliter unita est λόγῳ, ita, ut per & propter unionem personalem acceperit in tempore Majestatem

divinam, & propter intermissionem communicatæ hujus potestatis ac majestatis exercitium dici queat, *esse desertus à DEO.* Nullius item hominis est, aut erit gloria talis, ut etiam Angelos sibi subjectos habeat, excepto solo Christo. Nec valet: quod Ribera Jesuita & Beza volunt, de piis propterea accipienda esse hæc verba, quia illis datum sit, quod CHRISTO datum est. Nam locus *Ephef. II, 6.* quem probationis loco affert Riwera, nondum hoc probat: Nam CHRISTUS non propterea naturam nostram in hypothesin suam assumpsit divinam, ut & nos personaliter DEO uniremur, & ad dextram Majestatis sedemus, quæ excelsitas CHRISTO soli secundum humanam naturam, eo quod λόγῳ personaliter unita sit, competit, sed ut merito ejus, ad quod acqvirendum & applicandum humana Christi natura cum divina concurrere debuit, & propterea immensis donis fuit ornata, fruere-

eremur

eremur. Dictum autem Apostoli, loquitur de fructu glorificationis CHRISTI, qui est nostri vivificatio, & translatio in vitam æternā, in quam quidem & ipse CHRISTUS est translatus, sed ita ut sedeat ad dextram DEI. Huc accedit, quod posterior phrasis sæpe singulariter accipiatur de CHRISTO, qui filius hominis dicitur *Matth. VIII, 20. Luc. IX, 22.* Sed excipit Riwera contra hanc explicationem, quod hic non habeatur articulus, qui alias solet apponi, quando Christus hac Phrasi designatur, ita ut dicatur *ὁὸς τῆ ἀνθρώπων.* Quapropter cum Epistola ad Ebræos verba Davidis reddiderit, omisso articulo, Jesuita hinc colligit, significari speciem humanā, i. e. omnes homines & non individuum. & autem, exceptionem hanc nisi Græcorum regula, quæ tamen non est satis firma. Non enim quoties individuum certum notatur, semper requiritur articulus. Nam *Apoc. V, 6. CHRI-*

*STUS dicitur agnus librum aperiens; & Cap. XIV, 1. Agnus stans in monte; Et ibi in fontibus habetur vocabulum ἀρνίον, sine articulo, cum tamen non quisvis agnus, sed agnus ille DEI tollens peccata mundi intelligatur. Exempla plura omitimus, & in hac ipsa Phrasi aliquot ostendimus, quod extat *Job. V, 27.* ubi dicitur: *Pater dedit Filio potestatem, etiam faciendi iudicium, quia Filius hominis est. Ὅτι υἱὸς τῆ ἀνθρώπων.* Quod si tamen causam omissi in his dictis locis, articuli rimari velimus; cur CHRISTUS dicatur *ὁὸς ἀνθρώπων,* & non ut alibi *ὁ υἱὸς τῆ ἀνθρώπων,* responderi fortasse commode poterit, CHRISTUM cum articulo vocari filium hominis, ratione eorum hominum, quibus specialiter promissus est, quod ex ipsorum stirpe nasciturus esset, v. g. Davidis, Abrahami, &c. Cum verò sine articulo *ὁὸς ἀνθρώπων* appellatur, tum appellativa hominis significatione notari proprietatē humanæ naturæ*

F

à CHRI-

à CHRISTO assumptæ; quæ est convenientia cum genere humano, cum *essentialis, tum accidentaria*. Nam quoad *essentialem similitudinem* est verus homo, constans anima & corpore, particeps carnis & sanguinis, idemq; non secus ac reliqui Adami posterius, est filius hominis, & frater noster, os de ossibus nostris, & caro de carne nostra. Quæ explicatio est Epistolæ ad *Heb. II, 11.* in verborum hujus Psalmi allegatione, ubi quid sit Filius hominis, explicat his verbis: *Et qui sanctificat, & qui sanctificantur ex uno, scil. Adamo sunt omnes. Quamobrem non erubescit fratres ipsos vocare.* Et *v. 14.* vocem hominis interpretatur de eo, qui particeps consimiliter factus est carnis & sanguinis, sicut pueri communicant carni & sanguini. Deinde etiam convenientia accidentaria & in voce hominis, & in Phrasi, Filius hominis includitur. Nam *אָדָם* notat hominem miserum & afflictum; Et *בְּנֵי אָדָם* filius Adam, i. e. hominis,

connotat originem terrenam & vilitatem conditionis humanæ, quæ apud Hebræos innuitur vocabulo *אָדָם* i. e. homo, in humo conditus, vel pulvis è terra, *Gen. II, 7.* quæ *אָדָם* dicitur Hebræis. Et hanc convenientiam accidentariam Apostolus *Hebr. II, 17.* proponit, inquit: *Debuit per omnia similes fieri fratribus.* Et *Phil. II, 7.* in similitudine hominum, b. e. *similis homini factus est, & habitu repperit, ut alius homo.* Ad hanc similitudinē pertinent omnes infirmitates naturales, v. s. quod CHRISTUS esurivit, sitiit, alfit, tristatus est, flevit, &c. quas & id genus alias CHRISTUS assumpsit, excepto peccato, & quidem non ex naturæ necessitate, sed libera voluntate, ut pœnas nostrorum peccatorum lueret. Ideo *Rom. VIII, 3.* CHRISTUS dicitur missus, in similitudine carnis peccatricis, i. e. non secus ac peccator esset, cum tamen peccato omni careret. Atque h. m. constat *ἀνθρώπου* quæ

qva duo disparata hîc invicem opponuntur : JEHOVA est homo, Dominus cœli, est Filius hominis ex terra creati. Et deniqve per Filium hominis h. l. solum CHRISTUM esse intelligendum, omnium probatissimus testis est Apostolus, *Hebr. II, 9.* Commemoratur hic quoque unitio & communicatio personalis, qva duæ in CHRISTO naturæ sunt conjunctæ. Exprimitur autem hæc unitio, duobus metaphoricis vocabulis, quorum primum est *recordari* רָדַר; alterum autem *visitare*, vel *respicere* רָפַד. Primum est *recordari*, quod h. l. non theoreticè, sed practicè est accipiendum, & sic includit opitulationem, providentiam & rationem alicujus ab aliquo habitam, itemque collationem donorum, quemadmodum etiam Germanicè dicimus, *einen bedencken* / quem beneficiis afficimus. Notatur ergo hac voce unitio personalis duarum naturarum in CHRISTO, qva DEUS huic homini vo-

luit *χαρίζεσθαι*, ut loquitur Paulus *Phil. II, 9.* h. e. *ex gratia dare nomen super omne nomen.* Ideoq; ab hoc admirabili dispositione incarnationis DEI Patres deduxerunt appellationem unionis personalis. Nam *Ignatius ad Ephesios* scribens, mysterium unionis hujus *Phil. II, 9.* & *Col. I, 25.* nominat *œconomiam.* Eamq; appellationem alii & Græci Patres usurpant: *Cyrillus de recta fide ad Theodos.* vocat dispensationem per unionem, item unionem dispensativam. *Hieron. in Cap. 61. Esaiæ* assumptæ carnis dispensationem. Secundum, seu alterum verbum *visitare*, vel *aspicere*, dicitur de eo, qui amicè aliquem convenit, cogniturus de ejus statu, & operam illi suam opemque præstiturus, uti est *1. Sam. XVII, 18.* *visitabis fratres tuos in pace*: Ita DEUS dicitur h. l. *visitare* hominem, cui se arctissime univit, & quasi in consortium accepit naturam humanam, ut indissolubilem cum eo unionem haberet;

F 2

Quam

Quam significationem vocabulum *κοινωνίας* à LXX. adhibitum importat. *κοινωνία* autem *Hebr. II, 14.* notat hanc communionem *λόγος* cum carne nostra. Atque ex hac consociatione, vel unitione DEI & hominis, arctissime resultat communio naturarum illarum duarum, quæ ab *Irenæo Lib. 3. Cap. 20. οικειότης*, vel domesticitas, & *Damasc. Lib. 3. Cap. 5. 7. & 15. περιχώρησις*, i. e. immeatio, & *Augustino*, commercium vocatur. Aliqui volunt visitationem hanc per verba *Zachariæ Luc. 1, 62.* exponere: *Benedictus Dominus Israël, qui visitaverit & redemerit populum suum.* Sed ista visitatio non pertinet ad unum individuum, sed ad totum populum, & cum redemptione ejus consistit. Ideoque effectus est hujus visitationis, quæ DEUS in mundum venit, & homo factus est, & habitavit in nobis, *Joh. 1, 14.* Rectissime vero ad explicationem horum verborum accommodantur verba *Davidis 1. Chron.*

XVII, 17. qui celebrans magnificam DEI promissionem, de Messia ex femine illius nascituro, exclamat, & sic alloquitur Filium DEI, ex se humanam naturam assumpturum: *Aspicias me secundum dispositionem hominis, qui es in excelsis DEUS, aut secundum dispositionem hominis excelsitatis, Domine DEUS.* Est enim duplex explicatio hujus loci, quæ utraqve illustrat *Psaltæ nostri* verba. Ac primo quidem in verbo *הנה* utraqve interpretatio convenit, accipiens illud de cura, quæ alicui providetur, aut dignatione, quæ aliquis in superioris confortium admittitur, & ad eminentiam quandam extollitur: Atque ita æquipollet verbum illud *verbo visitationis & recordationis* apud *Psalter.* Deinde *הנה* est elevatio, eminentia, dignitas, excelsitas, quam vocem *Lutherus* exponit de ipso DEO, qui est excelsitas, vel excelsus, & cum ea conjungit sequentes duas voces *יהוה אלהים* cum non ad sit status regiminis. Tertio vocabulum

bulum

bulum תור Lutherus exponit de forma & specie, quasi sit תור & litera נ deficiat, eamque formam & speciem intelligit, de similitudine Filii DEI, cum aliis hominibus, tam essentiali, quam accidentaria, quæ secundum humanam naturam ipsi competit. Proinde sic vertit verba hæc: *aspexisti me in forma hominis, qui excelsitas, seu excelsus JEHOVA ELOHIM.* Du hast angesehen mich als in der Gestalt eines Menschen / der in der Höhe GOTT der HERR ist. Atque ita hæc verba accipit de Incarnatione Messiae, qua ille, qui sursum in cælis excelsus est Dominus DEUS, respexit Davidem, vel Davidis semen, & cum eo se arctissime conjunxit, ita ut quasi sit *Filius hominis, Dan. VII, 13. seu similis Filio hominis, Apoc. 1, 13. sive ut Phil. II, 7. in similitudine hominis factus, & schemate repertus ut homo;* Quemadmodum hæc verba Lutherus in aureo libello de novissimis verbis Davidis explanat latius & in

glossa marginali Bibliorum in ea sic commentatur: *Mich / das ist / nicht meine Person / sondern meine Bluts-Nachkommen / scil. in futurum & longinquum: Der ein solcher Mensch seyn wird / der in der Höhe GOTT der HERR ist.* Alii autem Interpretes, ut Pagninus & Arias Montanus vocem תור reddunt dispositionem, vel conditionem, qui significatus aptissime quoque hujus mysterii explicationi congruit, licet eum cæci Rabbinii alio trahant. Sic enim hic locus melius conferri potest, cum *2. Sam. VII, 19.* ubi habetur eadem vox, sed in fœminino תורת. David enim audiens, Messiae ex se nascituro promitti regnum æternum, subjicit: *Hæc est lex, vel dispositio hominis.* Quasi dicat David: Loqueris mecum, ô DEUS! de tali regno, quod nemini potest competere, nisi qui DEUS sit. Nam Filio tuo disponis regnum, quod sit perpetuum; ibidemque Lutherus hanc etiam significatio-

cationem retinet. Das ist eine weise eines Menschen / der GOTT der HERR ist. Deinde idem Montanus vocem *הלעם* reddit substantive excelsitatis; Quæ, si ad vocabulum hominis referatur; recte potest homo excelsitatis dici CHRISTUS, secundum humanam naturam, propter istam sublimitatem, ad quam secundum carnem est euectus, ita, ut dicatur Filius DEI, non adoptivus, sed natus; non hypostasi à Filio DEI distinctus, sed personaliter idem. Unde in dicto scholio Germanico Lutherus subjungit dictum *Ps. LXXXIX, 7. Quid in caelo æquabitur Domino? quid inquam, similis est Jehova in filiis DEI?* Et dicit, hoc verum esse de omnibus DEI filiis, excepto solo CHRISTO. Hic enim non adoptivus est filius DEI, sed personaliter, vel per & propter unionem personalem, consideratus secundum humanam naturam. Nam secundum divinam naturalis est Filius DEI. Huc & respi-

cit Angelus, *Luc. 1, 32. Hic erit magnus, & Filius altissimi vocabitur. Quem sensum & Latina versio expressit in hoc loco: Fecisti me spectabilem super omnes homines.* Junius & Piscator hanc excelsitatem accipiunt de dignitate Davidis, quæ ipsi contigit ex facta Messiae promissione, ideoque sic addit Junius: *Eo quod prospexeris mihi secundum rationem humanam, i. e. humanissime de hac excellentia.* Piscator autem: *Nach der Menschen weise belangende diese Erhöhung.* Et postea in scholio: *Nach der Menschlichen weise / i. e. ganz freundlich.* Sed hi nimirum indulgent Rabbini, qui dispositionem hominis exponunt, de singulari modo humanitatis, quo DEUS Davidem sit dignatus, uti quamvis ille parvus & contemptibilis esset: tamen excelsus & similis magnis Principibus redderetur.

Non enim loquitur David hic de eminentia paternitatis, sed de majestate Messiae ex

fiæ ex

fiæ, ex semine suo nascituri; quæ nihil aliud est, quam regnum perpetuum & thronus in seculum, uti verbis antecedentibus expresse nominatur. Et *Hebr. 1, 3.* hæc excelsitas vel dignitas dicitur *μεγαλωσύνη ἐν ὑψηλοῖς*. Deinde non cujuslibet hominis conditio tractatur h. l. sed dispositio memoratur hominis excelsi, i. e. qui in hypostasin DEI excelsi est assumptus, ut sit natus Filius DEI, per & propter unionem personalem. Quo pertinet & illa quorundam observatio, qui vocabulum *דָּן* præfixo demonstrativo *ה*, non sine causa insignitum docent, cum illud habeat hunc usum, ut certum individuum ostendat, & proinde. Davidem, non de dispositione homini communiter usitatâ, sed de dispositione, hæreditariâ, quæ certo cuiquam homini data est hæc excelsitas, nempe CHRISTO, loqui.

Quarto loco in hoc membro primo secundæ partis

etiam consideranda venit admirabilitas sive admiranda altitudo hujus mysterii, quam Psaltes gemina interrogatione innuit: *Quid est homo? Quid est Filius hominis?* Nam revera est magnum pietatis mysterium, quod DEUS manifestatus est in carne *1. Tim. III, 16.* ut merito *Damascenus Lib. III, de Orthodoxa fide Cap. 1.* id vocet *πάντων καινοτάτων μόνου καινον, ὑπὸ τὸν ἥλιον* i. e. *omnium mirabilissimum solum maxime mirabile sub sole.* Id quod elegantissime exaggerat Chrysostomus in *Ps. II,* quem ipse primum vocat quia secundum & primum pro uno habet: *Dominus, homo naturam tuam collocavit in regium thronum, super omnem principatum, potestates & virtutes, & omne nomen, quod nominatur.* Et paulo post: *Quo sermone utar, utar, aut quibus verbis ignoro? Natura patris, natura abjecta, & omnibus minor, omnia dicit, omnia superavit, omnibus digna facta est superior esse: Hodie accepit, quod Angeli divi*
deside-

*desiderarunt. Hodie Archangeli
spectatores fuerunt eorum, quæ
dudum expectata sunt, & natu-*

*ram nostram in throno Regis, in
gloria immortalitatis splendenter
cognoverunt &c.*

Vers. 6. ET MINUISTI EUM PAULISPER &c.

Hoc est alterum mem-
brum secundæ partis, quod
vocula copulativa conjun-
git cum primo, & in eo ex-
plicat ordinem, quo per pas-
sionem ac mortem **CHRIS-
TUS** introivit in gloriam
suam: atque ita duplicem
CHRISTI statum ob oculos
ponit, quorum primus Exi-
nitionis; alter, Exaltatio-
nis. De exinanitione ob-
servandum est (1) *Ejus subje-*
ctum, quod Psaltes nomi-
nat pronomine relativo,
eum, scil. Filium hominis,
& hominem illum, quem
DEUS respexit, ac visitavit.
Secundum eam enim natu-
ram **CHRISTUS** est exina-
nitus, secundum quam est
UN & filius hominis. Nam
frustra sunt, qui duplicem
CHRISTI exinanitionem
statuunt Calviniani. Si e-
nim mors non tribuitur se-

cundum divinam naturam,
neque tota exinanitio **CHRIS-
TI** potest tribui secundum
divinam naturam. Ratio:
Quia mors est ultimus gra-
dus hujus exinanitionis,
quippe quæ nihil aliud est,
quam in forma servili humilis obæ-
dientia usque ad mortem. Phil.
II, 7. Heb. II, 9. Quando au-
tem Cyrillus & alii Patres
dicunt; *DEUM se humiliasse,*
adeo, ut de cælo descenderet pro-
pter nos & propter salutem nostram
& homo fieret, tunc comendant
summam misericordiam, &
amorem Filii **DEI** erga ge-
nus humanum, qui ad illud
redimendum assumerit hu-
manam naturam. Aliud au-
tem est amor ille, & incar-
natio, aliud defectio potesta-
tis divinæ, quæ dicitur exi-
natio. Incarnatio ordine
prior est exinanitione, quia
CHRISTUS incarnatus exi-
nani-

nanitur (2) *Causa efficiens* Exinanitionis, quæ itidem est CHRISTUS, sed secundum divinam naturam consideratus. *Minuisti seu deficere fecisti, sc. tu Fili DEI.* Idem enim CHRISTUS est exinaniens, & exinanitus, sed secundum diversam naturarum conditionem. Nam ratione divinæ naturæ est exinaniens, uti etiam *Phil. II, 8.* dicitur: *Exinaniuit seipsum.* Respectu autem humanæ naturæ est exinanitus. Hinc apparet, exinanitionem istam CHRISTI fuisse liberam ac spontaneam. Ille enim ut libere in assumpta carne, virtutes majestatis exseruit; ita etiam easdem libere retraxit, & vitam suam volens dedit pro ovibus suis *Job. X, 11.* (3) *Forma* Exinanitionis est defectio vel defectus DEI. In Hebræo est *רָחַק* quod significat idem, quod *defuit, defecit, caruit.* In Piel autem *רָחַק* *minuit, minorem fecit.* Item *carere vel deficere fecit.* Et

proprie dicitur de eo, non qui ab initio fuit inops & egenus, sed qui ex altiori gradu ad inferiora recidit. Utramque vocis hujus significationem accurate exprimit Apostolus *Phil. II, 8.* Nam defectum seu carentiam DEI vocat *κένωσιν* evacuationem CHRISTI in forma DEI existentis. Imminutionem autem vel statum abjectum CHRISTI vocat *ταπείνωσιν.* Deinde CHRISTO ratione *κενώσεως* tribuitur, quod factus sit in similitudine hominum, ratione autem *ταπεινώσεως,* quod *χήματι* inventus sit ut homo. LXX. reddunt per verbum *ἐλαττῶσθαι* i. e. *minui,* quod etiam retinetur ad *Hebr. II, 9.* quia in exinanitione imminuta fuit usurpatione *αὐχημάτων* divinorum; Quo respicit Apostolus *Phil. II, 6.* cum tali imminutioni opponit *τὸ εἶναι ἴσα τῷ Θεῷ* i. e. gerere se ut DEUM, & exercere majestatem divinam; & huic opponit ibidem *μορφὴν δούλου,* formam servi, quæ
 G sub

sub se complectitur similitudinem cum aliis hominibus, & schematis cum iisdem convenientiam. Ut autem hic defectus DEI in homine Christo rectius intelligatur, sequentes quæstiones sunt enucleandæ:

I. *Cur dicat Psaltes, CHRISTUM desereri à DEO, & non à seipso?* Quia enim CHRISTUS secundum divinitatem est causa exinanitionis in carne sua factæ, ut paulo ante diximus; potius debuisset Psaltes dicere: *minuisti eum paulisper à te, quam à DEO, quia posterioribus videtur indicari alia exinaniens, alia exinaniti persona.* R. Lutherus in Commentario, dubium hoc facile tolli, per usitatissimum Scripturæ tropum, quo majoris reverentiæ ergo, in tertia persona potius, quam in secunda ad majores loqui soleamus: Et producit exemplum ex *2. Sam. XIV, 2. Recordetur Rex Domini DEI sui, i. e. Tu Rex recorderis.* Vid. *Buxtorff. in Thes. Grammat.* Quod si vox

DEI non *personaliter* de Filio DEI, sed *essentialiter* de tota SS. Trinitate accipiatur, neque tum *ἀνομάλως* erit interpretatio. Nam excellentia & majestas, quam Filius DEI carni suæ in incarnatione sua communicavit, & ejusdem usurpatio, seu exercitium, five ostensio atque exhibitio, est Filio cum DEO Patre & Spiritu S. communis. Nam eadem potentia, quam Filius exserit, etiam à Patre & Spiritu S. usurpatur. Hinc quando Filius DEI dicitur retrahere majestatis carni communicatæ exercitium; idem & de Patre & Spiritu S. recte affirmatur, quemadmodum cum Filio DEUS Pater & Spiritus S. causat exaltationem carnis CHRISTI, uti est *Phil. II, 9. Propter hoc & DEUS exaltavit CHRISTUM.* In termino autem operationis solum est discrimen, quia illa in sola hypostasi Filii DEI recipitur, quæ etiam sola habet carnem, in qua possit exinaniri & exaltari. Pater enim inanit
qui-

dem & humiliat & extollit, sed non seipsum, verum Filium, secundum carnem; Christus autem semetipsum dicitur exinanire, *Phil. 11, 8.*

II. *Quis sit modus huius defectus?* Nam defectus, vel carentia intelligitur hic, vel de carentia ac defectu DEI personaliter se unientis, carni assumptæ; Vel de defectu DEI communicatam illam plenitudinem per carnem exerentis. Expressius dico: Aut DEUS ita deficit in homine CHRISTO, ut cesset unio personalis, aut ut nulla sit communio naturarum, & quæ eam consequitur communio proprietatum; aut, ut proprietates divinæ per carnem à CHRISTO assumptam non exerantur & exercentur. Primum esse non potest, propter insecuræ exaltationis, quam insequentibus commemorat Psalter, durationem perpetuam. Si enim divina natura τὸ λόγος ab assumpta carne separaretur, & unio personalis harum naturarum

solveretur per exinanitionem, quomodo CHRISTUS post exinanitionem secundum carnem posset sedere ad dextram DEI, & sibi omnia habere subiecta, eaq; omnia per omnipotentiam illam ipsam, quæ λόγος est propria, gubernatione sua tenere. Neq; secundum membrum stare potest. Quia tota SS. Trinitas perpetuo habitat in carne à λόγος assumpta, & in consortium ascita, ita, ut humana natura CHRISTI, à primo unionis momento, semper & nunquam interrumpenda κληρονομήσει, habeat infinita dona, per & propter unionem personalem, carni CHRISTI à tota SS. Trinitate collatam. Manet ergo tertium hoc, quod CHRISTUS homo deseratur à DEO, prout communicatam carni maiestatem, non per eandem in statu exinanitionis exerat, λόγος, sed ut Irenæus loquitur ἡσυλαζει, quiescat. Porro comunicatæ huius maiestatis divinæ exercitium duplex est: *Particulare, & universale*:
G 2 Illud

Illud etiam in diebus carnis locum habuit, in quibus CHRISTUS aliquando gloriam suam manifestavit, & per assumptam carnem exeruit *δυναμια* divina, alioquin ultro assumtis infirmitatibus tecta. Hinc in profundissima exinanitione, & ultima quoque passionis linea (tota enim vita CHRISTI est passio) exhibuit CHRISTUS specimina majestatis diversa, v. g. cum uno verbo prosternit in horto hostes, terram concutit moriens in cruce, sepulchra aperit, latroni regnum cœlorum donat. Hoc autem, nempe *universale exercitium majestatis*, incepit in ascensione, cum sedit ad dextram DEI, & depositis infirmitatibus semper manifesto & plene nunc usurpat communicatam carni majestatem, & omnem potestatem in cœlo & terra exercet. Inde est, quod Christus *Job. VII, 39. nondum dicitur glorificatus esse ante resurrectionem.* Licet enim Apostoli vidissent gloriam ejus, & miracula;

tamen hoc majestatis exercitium *particulare*, non autem *universale*, quod post solennem CHRISTI à mortuis resuscitati ingressum in gloria demum cœpit. Atqui de hoc universali exercitio majestatis intelligenda verba sunt Psaltæ, cum ait: *Deficere eum fecisti à DEO, seu fecisti, ut defectum pateretur à DEO.* Nam in diebus carnis, & præsertim tempore pœnosæ septimanæ, potentiam suam, quam in ipsa unione secundum carnem acceperat, non quidem omnino non usurpavit. (ita non per mortem potuisset vincere hostes nostros, Diabolum, mortemque, nec sustinere immensam DEI iram) sed tamen totaliter eam non exeruit, verum permisit, se ab hostibus ligari, flagellari, crucifigi & occidi.

III. *Quæritur de voce Elobim, quomodo reddenda sit?* Non enim tantum significat DEUM verum etiam de creaturis usurpatur, ut Angelis, magistratibus & legatis DEI. Sic ergo

ergo potest objici: *Quod vocabulum notat Angelos, non debet exponi de DEO. Sed vox Elohim h. l. notat Angelos.* Ergo. Minor probatur auctoritate, non tantum Chaldæi & LXX. Interpretum, verum etiam Apostoli, *Hebr. II, 7.* Nam Chaldæus vertit vocem Elohim per vocem מַלְאָכִים, quod Angelos significat. LXX. autem reddunt: ἠλάτρωσας παρ' Ἀγγέλων *minuisti eum ab Angelis.* Ex qua translatione Apostolus *Hebr. II, 9.* CHRISTUM dicit, ἠλατρώμενον παρ' Ἀγγέλων. Et ad Major. eam esse veram, si exclusive intelligatur, h. m. quod vocabulum notat Angelos, sc. *tantum*, id non debet exponi de DEO. Jam vox Elohim h. l. notat Angelos, sed *non tantum*, imo nec primario eos significat, verum consignificat, duntaxat, & primario de DEO est accipienda. (1) מַלְאָכִים est ab מַלְאָכִים singulari, quod dicitur à robore & potentia, quæ cum in DEO sit essentialis atque infinita, propriissime &

ipsi hæc vox tribuitur. (2) Per Metaphoram, & quibusdam creaturis adhibetur, propter quoddam potentiæ & auctoritatis divinæ simulacrum in illis, v. g. *de iudicibus ac magistratibus, Exod. XXI, 6.* item *de Angelis, quia sunt fortes robore, Ps. CIII, 20. & legati Domini, in quibus gloria DEI resplendet. Sic Job. I, 6. & II, 1. dicuntur venire Filii DEI, i. e. interprete Targum, cœtus Angelorum.* Atque in primis manifestus est locus, *Psalms. XCVII, 7.* quem *Epistola ad Hebr. I, 6.* in ipsa Angelorum cum CHRISTO collatione adhibet. *Et adorent eum omnes Elohim, i. e. Angeli.* Cum vero vox Elohim sit ambigua, jam porro quæritur:

IV. *An DEUM, an Angelos h. l. significet, an vero utraq; significatio possit locum habere?* Responsionem dudum dedimus. DEUM primario, Angelos secundario esse intelligendos. Unde etiam *Psaltæ verba reddidimus: Deficere eum fecisti, vel defectum pati à DEO.* Hanc explicationem esse primariã

probamus. I. *Ex textus coherentia.* (1) A quo cunq̄ visitari dictus est Filius hominis, illo etiam dicitur carere, vel ab eo defectum pati. Sed à DEO Filius hominis dictus est visitari. Ergo DEO &c. (2) Cujus majestas est supracœlestis & infinita, ab illo dicitur minui Filius hominis, cum illius majestatis exercitium in ipso retrahit & minuit. Sed DEI, non Angelorum majestas est infinita. Ergo à DEO dicitur minui Filius hominis. (3) Qui constituit filium hominis super opera manuum suarum, & omnes creaturas, atq̄ adeo supra ipsos Angelos, explicante Apostolo, *Ephes. 1, 21.* ab illo & dicitur defectum pati Filius hominis. Ratio est, quia Pfaltes & imminutionem & exaltationem eidem tribuit personæ, vel causæ efficienti. Et imminutionem istam momentaneam, seu paululo tempore, excipit gloria & honor perpetuus, & quidē divinus. Jam vero DEUS, non Angeli constituunt Filium hominis

super creaturas. Ergo DEO carere primario hîc dicitur Filius hominis.

II. Potest & alia probationis classis desumi ex *Phil. II* ubi Apostolus hunc DEI defectum vocat (1) κένωσιν CHRISTI ὑπάρχοντος ἐν μορφῇ τῆς θεῆς existentis in forma DEI (2) Quasi intento digito ad hanc ἐλάττωσιν à Davide descriptam respicit, quod εἶναι ἴσα τῷ θεῷ opponit evacuationi & humiliationi CHRISTI. Inde ergo sic argumentamur: Illo caruit CHRISTUS, vel ille fecit deficere à se Filium hominis, in cujus forma CHRISTUS existerat, & cui æqualiter se gerere CHRISTUS secundum carnem personaliter DEO unitam, poterat. Atq̄vi DEUS & non Angeli sunt ille, in cujus forma existerat CHRISTUS, & cui æqualiter se gerere poterat. Ergo DEUS est ille, à quo h. l. dicitur esse minoratus, seu defectum pati.

III. Probationis classis
tertia

tertia suppeditatur ex *Psal.* XXII, 1. & *Mat. b.* XXVII, 46. ubi CHRISTUS clamat. *DEUS mi, DEUS mi, quare me dereliquisti?* Desertio autem DEI pertinet ad hunc defectum DEI à Davide descriptum.

IV. Adduci etiam queunt auctoritates veterum Interpretum. Nam Theodotion, nec non V. Editio habet *βραχὺ τί παρα θεῷ*, quemadmodum & Hieron. & Euthymius lectionem hanc sequuntur, vertentes: *à DEO.* Quare Genebrardus falso traducit Lutherum, & novitatis accusat, quod reddiderit: *Minuisti eum paulisper à DEO.* Nec tamen erronea est Chaldaei & LXX. Interpp. versio, qui vocem *מחלין* exponunt de Angelis. Nam hæc significatio h. l. est consecratoria; & dum Filius hominis dicitur carere DEO, simul etiam consignificatur, illum carere Angelis, & inferiorem illis esse. De Angelorum autem defectu res manifesta est ex historia Evange-

listarum. Christus enim proficitur. *Matth.* XXVI, 53. *quod plus, quam decem legiones Angelorum possit in promptu habere, qui ipsum contra hostes defenderent, nisi sic constitutum esset, ut pateretur, & hostibus traderetur.* Cumque Angeli *sint Spiritus administratorii Heb.* I, 14. & deserunt illum, quem DEUS deserit; recte infertur, CHRISTUM, quia à DEO fuit defectus, etiam Angelorum defectum esse passum. Non tamen ista desertio vel carentia Angelorum est omnimoda; quia Angelus in monte Oliveti CHRISTO apparet, & illum confortat *Luc.* XXII, 43. sed *ἐλεϊκὴ*, quatenus per Angelos vis hostilis CHRISTUM impetens non avertebatur; quod tamen facile fieri potuisset, si CHRISTUS potestate sua uti voluisset. Deinde ex hoc ipso etiam humiliatio extrema & imminutio CHRISTI infra Angelos conspicitur. Nam tanta *ἐλάττωσις* illius, ut crea-

ut creator à creatura, & Dominus ab Angelo, à quo tamen adorandus est *Heb. I, 6.* confortetur. Voluit autem Apostolus hanc confectariam imminutionem CHRISTI allegare & non primariam (1) quia LXX. versio tum temporis erat receptissima inter Judæos simul & gentes (2) Quia talis versio hujus loci scopo, erat accommodatissima. Instituerat enim comparationem inter CHRISTUM & Angelos; & postea respondet objectioni, quæ ex versione LXX. poterat moveri. *Qui est minor Angelis, non est præstantior, nec ab illis debet adorari. Sed JESUS est minor Angelis.* Ergo & Apostolus; istam humiliatorem CHRISTI esse ex peculiari dispensatione, & paulisper sive exiguo tempore CHRISTUM Angelis fuisse minorem, eum ob finem, ut pati, & gratia DEI mortem gustare posset pro omnibus. Qua periodo exacta, gloria

& honore fuisse coronatum; quod idem est, ac sedere ad dextram DEI; cujus majestatis ratione, CHRISTUM antea longe supra omnes Angelos evexerat. Sed de modo exinanitionis CHRISTI satis: Restat.

(4) *Duratio*, quæ exprimitur particula *ὀυδ*, quod est nomen significans, *parvum exiguum, paucum*; cum verbo autem junctum adverbiascit: Estque ambiguum, & notat modo *paucitatem temporis, modo vilitatem conditionis, aut alias res exiguas.* LXX. vertunt *βραχὺ τί*, quæ phrasis itidem est ambigua, & vel notat *circumstantiam temporis* *Luc. XXII, 18. Act. V, 34.* De tempore paululo vel brevi usurpatur, tum etiam aliis rebus accommodatur, ut cum de loci exigua distantia *Act. XXVII, 28.* usurpatur. Hinc factum est, ut hæc verba Psaltis, à multis Patribus de conditione ac statu acciperentur, putantibus, minui paululum ab Angelis, idem esse

esse ac aliquantulum, vel non longe esse inferiorem conditione & statu, in quo sunt Angeli. Atque ita de homine in genere interpretati sunt. Calvinus autem vocem אלהים non de Angelis; sed de DEO accipiens hunc sensum elicit: *Quod homo non sit multo minor DEO, & ejus conditio non longe inferior sit cœlesti & divina dignitate, cum ad imaginem DEI sit conditus.* Sed Apostolus *Hebr. II, 9.* eam hujus vocis significationem ostendit, quo temporis quantitas notatur, ex omni lingvæ Ebraicæ usu, eoque sæpiusculo. Nam *Lev. XXV, 32. Esa. X, 25. Cap. XXVI, 20. & XXIX, 17. Jer. LI, 33. Matth. II, 22.* notat hæc particula exiguum tempus, atque idem valet, quod paulisper. Hanc ergo particulam Apostolus refert ad tempus exinanitionis extremæ, ubi CHRISTUS mortem subiit, sed ita, ut paulo post gloria & honore coronaretur. Hoc scilicet est paululum temporis, quod intelligit, cum ait ad

Judæos *Luc. XXII, 53.* *Hæc est hora vestra & potestas tenebrarum;* Ideo Lutherus etiam vertit *eine kleine Zeit.* Jam si hæc particula, juxta Apostolum loquitur de miseria CHRISTI, quam nostra vice lubens subiit, & quidem extremo gradu exinanitionis, quo mortuus est; quomodo juxta Calvinum de dignitate ac præstantia quasi divina potest exponi? Excellentia enim & imminutio excellentiæ, dignitas & miseria, sunt contraria. Neque est ut Calvinum defendat Pareus, auctoritate Patrum, qui ad pauca respicientes, quæ de dominatu super animalia commemorantur, ad hominem in genere, verba Psalmi accommodarunt, non consideratis antecedentibus, quæ de nullo, nisi de CHRISTO accipi posse, in principio hujus explicationis ostendimus: Illudque ex consequentibus, in eorum analysi apparebit. Quare liceat salva honorificentia, quæ illis debetur hominibus, hoc in eorum scriptis

H

ptis

ptis respuere ac improbare, quod Spiritus S. ipse monstrat incongruum esse, ut verbis Augustini *Epist. 112.* utamur. Præclarum & est iudicium Lutheri, *Tom. 3. Witt. fol. 230.* supra *vers. 8.* hujus Psalmi, qui postquam commemoravit, magnos Patres, hunc Psalmum de puro homine intellexisse, postea subjicit; *verum fortiter obstat Paulus, non tantum Hebr. 11, 9. sed & 1. Cor. XV, 27.* Cum autem Scriptura & verbi Dei oporteat esse unum simplicem ac constantem sensum, ne sacris literis cereum nasum faciamus, justum est, Pauli sensum præferri omnium aliorum Patrum sensui, sive Ambrosii, Augustini, sive Albanasi & Hieronimi. In eo tamen magis obeliscum meretur Calvinus, quod scribat, *verba Psaltes ab Apostolo Hebr. 11, 9. trahi, torqueri, & non in proprio ac genuino sensu proponi.* Quæ de re in principio hujus Psalmi satis dictum est. Unum restat $\kappa\rho\nu\sigma\phi\upsilon\gamma\epsilon\lambda\omicron\nu$, in quo salvare Calvinum cupit Paræus, nempe argumentum tantum à pluralitate sensuum

scripturæ. Quia enim unus locus saepe diversis modis possit explicari, uti Patres, & imprimis Augustinus, docent, ideo nihil absurdi esse contendit, si verba quoque Psaltes & de CHRISTO exponantur. R. autem (I) ex enumeratione sensuum Scripturæ. Aut sensus Psalmi VIII., prout ab Epistola ad Hebr. adducitur, est Grammaticus, aut mysticus. Sed non est mysticus vel spiritualis; Ergo est Grammaticus vel literalis. Minor probatur. Quia sensus mysticus, vel typicus est, cum res gesta vel facta est typus seu figura alterius rei: At hominis creatio, sive instauratio non est typus exinanitionis & exaltationis CHRISTI. Ergo de hominis creati vel instaurati conditione ac dignitate hinc non agitur. Porro literalis sensus vel est communis, & pluribus convenit, vel singularis. Quando est communis, & de pluribus aliquid enunciatur, tunc citra ullam deflexionem, etiam de hoc vel illo sub illa generalitate contento, dici

dici potest prædicatum. Sumamus exemplum, quod objicit Pareus ex *Pf. LXXIX, 26.* ubi *versus 25. Fiat domus eorum deserta*, habet sensum literalem, quæ literalis est, tamen à Petro rectè in singulari numero relativum enunciat, & ad Judam proditorem in specie versus iste accommodatur, *Act. 1, 20. Fiat domus ejus deserta.* Ratio est, quia desolatio est prædicatum competens & Judæ, & aliis Christi inter Judæos persecutoribus. Si autem sensus literalis est *singularis*, tum nulli alii rei potest accommodari; Jam h. l. talia prædicantur, quæ sunt singularia, & nulli alii competunt, nisi huic homini, & huic filio hominis, qui in unitate personæ est Dominus cœli: Quare non potest de tota specie humana & hic sensus, accipi. (2) *Et. etiam ex sensu literalis criterio vel requisito.* Quem sensum grammatica significatio vocabulorū, citra ullam absurditatem infert; & scripturæ insuper

parallela testimonia literalia atque allegationes ἀποστολικῶν comprobant, ille est Grammaticus vel literalis. Atque hunc sensum Psalmi, quem Epistola ad Hebræos affert, & comprobat, grammatica significatio vocabulorum, citra ullam absurditatem infert, & scripturæ parallela testimonia comprobant. Ostendit enim Evangelica historia, omnia sic CHRISTO evenisse; & Paulus in supra allegatis locis, *Ephe. 1, 22. 1. Cor. XV, 27. & Hebr. II, 9.* de CHRISTO hunc Psalmum interpretatur literaliter, ita quidem, ut soli CHRISTO tribuat, quæ hîc in Psalmo homini, & filio hominis evenisse dicuntur. *E. ET GLORIA &c.* Postquam *exinanitionis CHRISTI* epitomen quandam proposuit David, nunc accedit ad ejusdem *exaltationem* explicandam, quam è diametro exinanitioni opponit. Nam quod *LXX.* & cum iis Apostolus *Hebr. II, 9.* ut & Latina versio omittunt in *Meta-*

H 2

phrasi

phraſi h. l. non tam eſt copu-
lativum, quam adverſativū,
ſignificans idem, quod *ſed*,
veruntamen; quemadmodum,
& Lutherus reddit. *Aber mit*
Ehren. Conſideranda autem
hic ſunt iterum certa puncta,
quorum (1) *eſt de cauſa effi-*
cientē exaltationis. (2) *De ſub-*
jecto, ſeu perſona exaltata, & (3)
de modo exaltationis.

I. *Cauſa efficiens* exal-
tationis eſt CHRISTUS ſe-
cundum divinam naturam,
vel tota SS. Trinitas: *Coro-*
nasti ſcil. tu JEHOVAH Domi-
nator noſter; Quamvis enim
Phil. II. 9. DEUS Pater,
cui CHRISTUS factus eſt
obediens, exaltaſſe dicatur
CHRISTUM, & *Ephes. I. 22* ut
& *1. Cor. XV, 27* ipſi omnia ſub-
jeciſſe; tamen ibidem Pater
opponitur CHRISTO ut
homini, non vero ut DEO.
Nam ut DEUS eſt, ab æter-
no per æternam generatio-
nem CHRISTUS habet
omnia, quæ habet Pater.
Job. XVI, 19. & *ὁμοίως* facit,
quæcunqve facit Pater. *Job.*

V, 19. Unde *1. Cor. XV, 27* ubi
locus Pſalmi hujus adduci-
tur, tandem ſubjicit Paulus,
& *ipſum Filium Patri ſubjectum*
iri. At vero ſecundum huma-
nam naturam tantum ſubje-
ctus eſt Patri, & minor eo.
Secundum divinam autem
ipſi Patri eſt æqualis in eſſen-
tia & operatione. Plerumq;
autem Scriptura efficientiam
exaltationis refert ad DEUM
Patrem, non ut excludat reli-
quas Trinitatis perſonas; ſed
quia Pater eſt fons Divinita-
tis, & ſimul etiam fons noſtræ
redemptionis ac ſalutis, quem-
admodum Patres eſt *Job. III, 16.*
docuere.

II. *Subiectum exaltationis*, ſeu
perſona, quæ exaltatur, eſt
CHRISTUS, *ſecundum huma-*
nam naturam, vel quatenus eſt
homo, & Filius hominis à DEO
viſitatus, & à λόγῳ in unitatem
perſone aſſumptus, quemadmo-
dum *Job. V, 27*. hæc ipſa deter-
minatio habetur, & filio ho-
minis (*itidem ſine articulo poſita*
eſt hæc Phraſis;) dicitur, datum
eſſe iudicium, *ὅτι* quatenus vel
quia

quia Filius hominis est. Cum enim in CHRISTO sit τὸ ἄλλο, καὶ ἄλλο, aliud & aliud; nihil absurdi est, ipsum alio respectu & exaltantem, alio exaltatum dici. Exaltatus itaque est CHRISTUS, secundum humanam naturam, id quod è Psalmo nostro sequentibus rationibus probari potest. (1) Prima deducitur ex ipsa unionem personali. Qui assumptus est in hypostasim τῆς λόγῃ, & visitatus à DEO, ille est exaltatus per istam visitationem. Atqui hic homo & hic Filius hominis, de quo Psaltes agit, est visitatus à DEO & assumptus &c. Ergo. Nam λόγῳ assumens carnem non perficitur, sed carnem assumptam perfectiorem reddidit, & divinis εὐχίμασι ditat. (2) Secundum quam naturam CHRISTUS est ὡς ἄνθρωπος i. e. homo, infirmitatibus & miseriis expositus, & imminutus fuit à DEO, seu caruit potentiae & majestatis plenario usu, secundum illam quoque mutavit miseriam, & gloriam atque honorem acce-

pit. Sed secundum humanam naturam, miseriam illam mutavit, & accepit gloriam & honorem. Ergo. (3) Secundum quam naturam CHRISTUS factus est Dominus, secundum illam est exaltatus. Atqui secundum humanam naturam. Ergo. Ratio Majoris est, quia CHRISTUS secundum divinam naturam est naturaliter, seu φύσει Dominus, per æternam à Patre generationem. Hic autem agitur de Dominio, quod θεσει CHRISTUS habet, & ut factus Dominus per & propter unionem personalem humanæ naturæ cum λόγῳ. Sic enim David ait v. 6. Gloria &c. item v. 7. Dominari facies eum. Unde Act. II, 36. Petrus quoque ait: DEUS hunc ἐποίησε fecit Dominum. (4) Secundum quam naturam CHRISTUS fuit servus, secundum illam quoque factus est dominator. At secundum humanam naturam fuit servus. Ergo. Major probatur ex ἀντιθεσει imminutionis à DEO, quam Paulus Phil. II, 7. explicat per as-

sumtionem formæ servi, & coronationis, quæ propria est Regis. *Minor* patet, quia CHRISTUS dicitur servus, tum ratione *διακονίας* vel ministerii, quod in diebus carnis prædicando obiit; unde & dicitur *διάκονος* circumcisionis, *Rom. XV, 8.* tum passionis, quando pro nobis factus est peccatum, & luit nostra peccata pœnasq̄. (5) Quinta ratio potest duci à *circumstantia temporis*. Qui in tempore accepit, gloriam & honorem ille secundum humanam naturam accepit. Sed Christus &c. E. *Minor* probatur, quia Psaltes utitur futuri temporis verbis. *Coronaturus es eum; Dominari facies, vel constitues eum super opera manuum tuarum; &c.* quamvis LXX. & Latinus Interpres futurum reddiderint per præteritum, propter certitudinem vaticinii, non secus ac si jam impletum esset, eventuri. (6) Ratio sexta est: *Secundum quam naturam CHRISTUS habet pedes, quibus subiiciuntur omnia, secundum illam*

naturam accepit gloriam & honorem. At vero secundum humanam naturam habet pedes per *ἀνθρώπων πόδια* vel Metaphoram ab homine sumtam, qualis interdum de DEO usurpatur, sed proprie. Qui ergo proprie pedes habet, illi secundum eam naturam subjecta in tempore dicuntur omnia, quæ sunt pedibus illis subjecta. Quare falsa est Calvinistarum glossa, qui exaltationem CHRISTO tribuunt secundum utramq̄ naturam, ita quidem, ut potestatem infinitam dicant datam, h. e. redditam esse CHRISTO, secundum divinam naturam; eam vero, quam carni CHRISTI adscribunt gloriam, non nisi finitanti dicant, & gradibus tantum differentem à gloria beatorum.

III. *Modus exaltationis Christi* est communicatio divinæ majestatis, atque inde oriundæ subjectionis omnium, quæ carni CHRISTI in tempore tribuuntur: *Gloria & honore coronabis*

ronabis eum; Quibus verbis Pfalter breviter comprehendit *αὐχήματα* divina, carni CHRISTI tributa, quæ propterea nobis attentio sunt ruminanda. Primum est כבוד à כ. כ. כ. gravis fuit, & refertur tam ad multitudinem & magnitudinem, quã ad honorem, splendorem ac divitias. Unde כבוד significat gloriam & (1) usurpatur active de fama, seu consentiente laude bonorum atque incorrupta voce bene judicantium de excellenti virtute, uti Cicero 3. Tusc. gloriam describit. Vel ut Aristot. 1. Rhet. V. ait. *εὐδοξία ἐστὶν, virtute præditum à cunctis estimari, & tale aliquid in se habere, quod vel omnes appetant, vel saltem boni atque prudentes.* Atque sic usurpatur Jos. VII, 19. *Da gloriam Domino DEO Israel* (2) Passive sumitur de majestate, potentia, divitiis aliisque bonis, quæ possessorem reddunt splendidum, & gloriosum, & quibus honor debetur. Hoc loco posterior signifi-

catus inprimis valet. Quamvis enim *αὐχήματα* divina carni CHRISTI communicata & active sint gloria. h. e. talia, quæ celebrari & glorificari debeant, tamen illa reverentia cultusque & celebratio in voce sequente, comprehenditur, quæ est הדר honor & decus à Radice הדר honoravit. Est autem honor, ut describit Philosophus 1. Rhet. V. *σημείον ἐνεργητικῆς ἀρετῆς i. e. signum gloriae ex bene meritis* (addo ex dignitate etiam & sublimi statu) ortæ. Quam definitionem facies perfectam, si adjeceris causam finalem h. m. ad testandam submissio-nem, reverentiam, & affectum de eo, quem honoramus. Sed & hoc notetur, quod Aristot. Eth. Cap. V. distingvat τὰ τίμια honorabilia ἀπὸ τῶν ἐπαινετῶν à laudabilibus, & illa dicat esse omnium maxima bona, qualia sunt DEUS, mens, felicitas. Hæc autem esse minoris gradus, quales sunt virtutes, quæ sunt

funt media ad summum bonum. CHRISTO ergo cum tributa esse dicitur gloria & honor, intelligitur majestas, potentia, & reliquæ proprietates, quæ sunt ipsi secundum carnem communicatæ, nec non cultus ac subjectio, ipsi, ut Regi debita. In primis autem notanda venit *qualitas* hujus gloriæ & honoris: non enim finita sunt hæc *αυχήματα*, sed infinita & divina. Nam jam ante David gloriæ hanc vocavit supracœlestem *vers. 2.* quia hic Filius hominis factus est, sublimior cœlis *Hebr. VII, 26.* & collocatus ad dextram DEI in cœlestibus *ὑπεράνω πάσης ἀρχῆς i. e. longe supra omnem principatum* (2) Deinde hæc gloria, est gloria illa DEI, ita tamen ut minuere- tur paulisper à DEO. Sic ergo argumentamur: Potentia *λόγος*, quæ in carne CHRISTI patientis quievit, & quia se sponte evacuavit hic Filius hominis, non est finita, sed infinita. Sed glo-

ria CHRISTO in exaltatione communicata, est illa potentia *λόγος*. Hujus enim ratione CHRISTUS dicitur minui *βελτιῶθαι* melior reddi. (3) Gloriæ denique hanc immensam esse probat, collatione domini *vers. 9.* Qui enim accepit Dominium creatoris proprium, ille immensa gloria ornatur. Similiter & honor CHRISTO collatus, est divinus & talis, quem alteri non vult dare DEUS: caro enim CHRISTI est in DEO, non extra DEUM, ideoque una *λατρεία* & *λόγος* & caro ipsa assumpta colitur. Neque enim Filius hic est alter vel alius, quali DEUS denegat honorem sibi soli proprium. Nam Christus licet sit aliud & aliud, i. e. habet distinctas naturas non tamen est alius & alius, sed una persona; & idem ille ipse DEUS est incarnatus, qui fuit ante incarnationem, nec factus est alter. Hinc Psaltes Filium hominis à DEO visitatum, dicit esse, ipsum

ipsum Dominum cœli & creatorem stellarum *vers. 4.* Juvat autem hîc intueri parallela Scripturæ loca, quæ e nostri Psalmi fontibus ducta sunt; Inde enim est quod *Dan. VII, 13.* de Majestate Filii hominis profertur: *Aspicebam in visione noctis, & ecce cum nubibus cœli, quasi Filius hominis veniebat, & usque ad antiquum dierum pervenit, & in conspectum ejus adductus est, & dedit ei potestatem & gloriam, & regnum, & omnes populi, nationes & lingua servienter. Potestas ejus, potestas aeterna, quæ non auferetur ab eo, & regnum ejus quod non corrumpetur.* Idem hoc de se ipso profitetur Filius DEI. *Matth. XXVIII, 18.* *Mibi data est omnis dñv̄a p̄is r̄ḡi & gl̄ria in cœlo & in terra.* Item *Job. XVII, 2.* testatur, *datam sibi īgl̄ria omnis carnis, & petit se glorificari, gloria illa, quam habuit apud Patrem, antequam hic mundus esset.* Sic Apostolus *Ephes. I, 21.* dationem gloriæ exponit de collocatione CHRISTI ad

dextram DEI, longe supra *omne imperium, potentiam, ac dominium, & omne nomen, quod nominatur non modo in hoc, sed & in futuro seculo.* Ita *Phil. II, 9.* prius sublimitatem CHRISTI commemorat, voce *ὑπερψωσε*; Deinde honorem extollit, cum ait: *ex gratia ipsi dedit nomen super omne nomen, ut in nomine JESU flectatur omne genu cœlestium, terrestrium, & inferorum, & omnis lingua confiteatur, quod Dominus JESUS CHRISTUS est in gloria DEI PATRIS.* Utrumque *ἀρχήματα* Johannes conjungit *Apoc. V, 12.* *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & divitias, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam (active acceptam) & benedictionem.* Proinde hoc quartum argumentum potest esse à testimoniis Scripturæ parallelis desumptum; quo probatur, CHRISTO secundum carnem communicata *ἀρχήματα* esse revera infinita & divina; Ceterum hæc gloria & honor CHRISTO quidem
I
in ipsa

in ipsa statim unione personali data sunt, quoad possessionem propriam, ipsiq; etiam in statu exinanitionis concessa; quoad exercitium particulare. Eluxit enim hæc gloria (1) in *nativitate CHRISTI* Luc. II, 9. ἡ δόξα Clartas Domini circumfulsit eos. (2) In *Baptismo & transformatione in monte*. Acceperat enim, prout Petrus ait 2. Epist. I, 17. à DEO PATRE honorem & gloriam, voce ad eum delata hujusmodi magnifica, Hic est ille Filius meus dilectus, in quo acquiesco. (3) In *miraculis*, quemadmodum Job. II, 11. in nuptiis Cananæis dicitur, gloriam suam manifestasse. Unde generatim Johannes Cap. I, 14. exclamat: Vidimus gloriam ejus. Et gloriam hanc in eo esse sitam dicit, quod hic homo sit Filius DEI; gloriam quasi uni-

Vers. 7. ET CONSTITUISTI EUM &c.

Jam investituram hanc per partes explicat, quarum (1) prima est, *dominii divini concessio*. In Ebræo enim est

geniti à Patre. Veruntamen in exaltatione demum, CHRISTO gloria & honor tributa sunt, quoad universale exercitium horum ἀρχιματων. Unde Psaltes hanc communicationem gloriæ & honoris vocat *coronationem*. Quamvis enim interdum simpliciter sit idem ac ornari, atque ita coronari gloria, æquipollere posset verbo glorificandi, quo & ipse CHRISTUS Job. XVII, 5. exaltationem suam notat: Tamen cum Reges proprie soleant coronari, ideo coronatio hæc proprie & rectissime exponitur, de solenni inauguratione, qua CHRISTO secundum carnem ad regnum, quoad plenum perpetuum & manifestum exercitium data est gloria & honor divinus.

vox הון quæ duo distincta significat. 1. *Dominitum* seu jus patrimonii ac bonorum, quæ quis possidet, ita ut libere

libere

bere iis uti, & quemadmodum Imperator loquitur, arbiter illorum ac moderator esse possit. Nam dominium, quod jurisconsulti vocant plenum, duabus constat partibus, proprietate & usu fructuum. Habetur autem significatio hæc *Exod. XXI, 8.* ubi DEUS vult, ut puella Hebræa, de venditione parentum emancipata, in jus & familiam alterius transiit, non vendatur alienigenæ *לשון נכר* i. e. non dominabitur ad vendendum eam i. e. non habebit jus & potestatem vendendi eam. Eadem vox significat etiam dominatum vel imperium, ut *Gen. III, 16.* *ipse dominabitur tibi.* Secundum quem significatum CHRISTUS *Micb. V, 1.* dicitur *לשון* h. e. ut *LXX.* habent *ἀρχων*, Lutherus *Herzog. Matth. II, 6.* *ἡγεμὸν*. Nos h. l. priorem significationem hujus vocis putamus obtinere; quia dominatus vel imperium postea describitur per subjectionem omnium sub pedes

CHRISTI, & latos potestatis suæ terminos, quam in solas creaturas, quæ adæquatam domini objectum sunt, exporrigit. Quemadmodum ergo per plenum dominium, legitimi ac justii fiunt rerum possessores, & liberam habent illis utendi potestatem: Ita CHRISTUS quoque est Dominus creaturarum, tum quoad proprietatem, tum quoad jus ac potestatem illis utendi ad gloriam suam illustrandam, Ecclesiæ salutem promovendam, & vindictam de impiis sumendam. Estque hoc dominium CHRISTI divinum & soli DEO proprium, quod Psaltes innuit *pronominne possessivo, manuum tuarum.* Nam ex creatione oritur jus domini in creaturas, & quia hic Filius hominis est verus DEUS & Creator omnium: Ideo & jure domini proprias habet omnes creaturas, & quoniam per justitiam ipsius licet, ad usum obnoxias: Ideo hunc peculiarem

liarem titulum habet in Scripturis, quod fit *Dominus Zebaoth exercituum vel creaturarum omnium*. Hoc autem dominium λόγος, communicatum est carni à λόγῳ assumptæ per & propter unionem Personalem, ita ut in tempore CHRISTUS quæ Filius hominis est, acceperit omnia à Patre in manus suas Joh. XIII, 3. Hinc potestas hæc in creaturas & dominium Filio huic hominis tributum est ἐκ ἀρχαίου ἴ. e. non rapina ut Psal. II, 6. *Apostolus loquitur, sed legitimum & justum Dominium, quod Filio hominis competit jure proprietatis*. Nam hic Filius hominis est illa ipsa Persona, quæ cum Patre & Spiritu S. res omnes creavit: hic Filius hominis easdem res ut ἀνθρώπος jam conservat, & mirabiliter disponit.

(2) *Habetur hic etiam modus ac forma accepti Domini, & materia sive objectum*. Modum exponit Psaltes emphatica significatione, verbi ὡς in tertia

conjugatione usurpatum. Nam vox ὡς significat, *dominum fecit, vel constituit*. CHRISTUS enim secundum divinam naturam est Dominus τῆ φύσει, *naturaliter*; secundum humanam naturam est ποιῆσει *effectione, vel θεσει constitutione*. Unde & LXX. usurpant verbum κατέστησας, & *Latinus constituisti*. Qui enim fit ab aliquo Dominus, ille constituitur. Estque ποιῆσει hæc & constitutio, non tantum declaratio ac manifestatio potestatis, verum & naturalis communicatio, quæ revera βεβλήωσιν in carne Christi efficit, ut ex epistola Hebr. I, 4. *Atbanas. Orat. 2. contra Arianos loquitur*. Ac potestas hæc quidem statim in unione Christo est communicata; veruntamen post passionem demum plene ab ipso exercita, mutata paupertate in divitias, tristitia in lætitiā, servili conditione in dominatum.

(3) *Objectum hujus Domini sunt omnes Creatura, quæ hic iterum κατ' ἀνθρώπου παρὰ θεῶν dicun-*

dicuntur opera manuum
 DEI. Extollitur autem hoc
 titulo, patrimonii, vel peculii,
 CHRISTO secundum carnem
 donati amplitudo, plenitudo
 & excellentia. Nam (1) hoc
 CHRISTI Dominium, non
 tantum est commune, verum
 & speciale. Sane in Politicis
 disputatur, omnia Principis
 esse, & Majestas omnium
 rerum Domina constituitur.
Unde 1. Sam. VIII, 11. usque ad 19.
 per legem regiam, datur Regi
 dominium *in filios, & filias,*
agros, vinea, olivea, servos &
greges subditorum. Itemque
Dan II, 38. Omnia, inquit,
habitant filii hominum, bestias agri,
volucres caeli, & universa consti-
tuit sub ditione Regis. Idemque
 jus Nabuchodonosari, Syriae,
 Mesopotamiae, Ciliciaeque
 populi concedunt. *Judit. II,*
3. 4. 5. Veruntamen hoc Re-
 gum dominium, plurimum
 discrepat à Dominio CHRISTI.
 Reges enim, Domini sunt eo-
 rum, quæ subditi possident,
 ratione jurisdictionis & pro-
 tectionis, ac dominio com-

muni, quo bona subditorum
 dirigunt ad salutem reipubli-
 cæ, non autem ratione pro-
 prietatis, seu speciali domi-
 nio, quod à singulis obtinetur,
 adeo, ut Imperator ipse res
 suas assignet privatis, uti vi-
 dere est *in Institutione de rerum*
divisionibus, easque collocet
 extra *deusvoliam* suam, *b. e. pot-*
statem, seu ut vertit *Theophilus*
Dominatam. Nam ut *Seneca*
Lib. 7. de Benefic. Cap. 3. ait :
Omnia Rex imperio possidet singu-
lari, dominio, sc. speciali. Nam
 commune Dominium com-
 petit Principi ratione juris-
 dictionis; Quo nomine Caro-
 lus M. se Imperii non Domi-
 num, sed Gubernatorem ap-
 pellavit, teste *Wesenb. in Illustr.*
quest. At vero hic Filius homi-
 nis est Dominus omnium re-
 rum, non tantum dominio
 communi, verum etiam spe-
 ciali, & ratione proprietatis.
Est enim primogenitus omnis crea-
tura, Col. I, 15. & constitutus
heres omnium, Hebr. I, 2.
 Deinde si homines imperium
 aliquod possidentes compa-
 ren-

rentur cum hoc Domino, non nisi utile tantum dominium habent, & Domini sunt rerum suarum, non ratione proprietatis, sed tantum usus fructus. Quæcunqve enim possidemus, concredita sunt nobis ut dispensatoribus, & necessitati atqve honori nostro concessa, non mancipio sed usu. CHRISTUS autem plenum vel directum habet Dominium, & non tantum libere potest uti creaturis, verum & jus proprietatis in illas obtinet, quemadmodum dicitur *Pf. XXIV, 1.* & *1. Corintb. X, 26.* *Domini est terra &c.* & *Psal. L. 10.* DEUS Dominium suum, quod CHRISTO secundum humanam naturam tributum esse diximus, prædicat: *Mea est omnis bestia agri:* Similiter de hoc Dominio Divino agitur: *Os. II, 8.* *Ipsa Israelitica Ecclesia non considerat, quod ego dederim ei frumentum & oleum; imo quod ei multiplicaverim aurum & argentum: Accipiam frumentum meum aut mu-*

stum meum, auferam lanam meam & linum meum. Denique quantillum est, quod homines singulatim vel Reges & Principes communiter ac publice possident, si conferas cum hujus Domini proprietate. Ipsi Reges sunt operam manuum DEI, & propterea super hos quoque extenditur divinum hoc Dominium. Super hos autem imo & super Angelos & omnes creaturas. Pulchre *Tertull. in Apol. adversus gentes Cap. XXXIV.* *Augustus Imperii formator, ne Dominum se quidem dii volebat, & hoc est DEI cognomen; dicam plane Imperatorem Dominum, sed more communi; sed quando non cogor, ut Dominum vice DEI dicam; ceterum liber sum illis, Dominus enim meus unus est Omnipotens DEUS, æternus, idem & ipsius scilicet Dominus.*

II. Altera pars hujus gloriose investituræ, quæ Filio hominis contigit; est concessio infiniti dominatus vel Imperii, quod à Dominio proprie sic dicto

dicto distinguitur. Eaque concessio hinc exprimitur voce *subiecisti*. Cui enim subijciuntur alii, illi tribuitur in eos Imperium; & quicumque subditos habet, eorum est Dominus; Ita quemadmodum Dominium explicavit gloriam, quam huic homini tributum iri Psaltes dixerat: Sic subiectio respicit ad honorem eidem donatum. Nam ut *Chrysostr.* 1. *Cor. XV.* ait, non simpliciter DEUS superiorem efficit illum, ut aliis honore praeferretur, neque κατὰ σύγκρισιν, juxta comparisonem, sed ita ut reliquis veluti servis imperaret. Simul vero indicatur & modus, & objectum imperii hujus. (1) *Modus* quidem est, quod Imperium hoc sit absolutissimum, & summæ potestatis, quæ non est ulla sublimior, i. e. divinum, quod itidem. d. l. graphice exponit *Chrysostr.* *Papa! quam revera stupenda res homini servo facta est! universa potestas διὰ τὸν ἐνοικῶντα propter inhabitans verbum. ἐστὶ γὰρ*

τίνα ἐπάνω εἶναι, ἢ ἐξ ἑλόντα ὑποκείμενον, ἀλλὰ πρωτιμωμένον i. e. potest fieri, ut in sublimi quiescit sit, qui tamen neminem habeat subiectum, sed simpliciter prae aliis in honore babeatur. Ἐν ταῦτα δὲ ἔχ' ἕτως, ἀλλὰ πάντα ὑπέταξεν ὑπὸ τῆς πόδας αὐτῆ i. e. hic vero non ita; sed omnia subiecit sub pedibus ejus, & non simpliciter subiecit, ἀλλὰ τὴν ἐσχάτην ὑποταγήν, sed ultima vel extrema subiectione; μὴ μετ' ἑν ἑτέρῳ, διὰ τῆτο εἶπον, ὑπὸ τῆς ποδῶς, non juxta quam alteram; Propterea dixit, sub pedibus ejus. Haecenus *Chrysostr.*

(2) *Objectum* hujus Imperii sunt *Omnia*, cujus & *latitudo* & *restrictio* ex aliis Scripturæ locis est addenda. Aliqui vocabulum *Omnia* interpretantur ex priore membro de operibus manuum DEI: sed hoc objectum non esse adæquatum, ostendit potestatis CHRISTO concessæ & muneris functio judicio judicaria. Sane CHRISTUS obtinet etiam Imperium in hostes suos, quatenus illi confide-

fide-

siderantur in seratione essentiae suae, & sunt opera manuum DEI; Atque hoc modo in eos etiam dominium ac jus proprietatis accepit, sed quatenus hostes sunt, & ratione malitiae tales, non sunt proprii DEO; neque eorum malitia est opus manuum DEI, verum sunt mancipia Diaboli, & Diabolus ipse quatenus hostis est, defecit ab ordine primi agentis, i. e. DEI ac Domini sui, ceu fugitivus servus; nihilominus tamen ipse cum omnibus suis mancipiis & omni malo, quod in mundum invexit, DEI & CHRISTI Imperio subjectus est, ita ut in medio hostium suorum dominetur CHRISTUS etiam secundum carnem, & scabellum pedum suorum ponat eos *Psal. CX, 2.* Latior ergo est dominatio, vel imperium CHRISTI, quam imperium proprie sic dictum; id quod & manifesto docet Apostolus, cum *1. Cor. XV, 26. mortem, qua est ho-*

stis novissimus, & quem DEUS non fecit. *Sap. 1, 14.* CHRISTI potentia abolendam esse demonstrat ex hoc Psalmo, quia *Pater omnia sub pedibus ejus subjecerit.* Quare CHRISTI potestas dominatrix est, & in bona i. e. *omnes creaturas earumque actiones & concreta, accidentia, & in mala, i. e. in peccatum ac mortem & omnem tenebrarum potestatem;* Bona conservat, remuneratur, promovet, mala permittit, vindicat, judicat, & tandem mortem atque opera Diaboli plane abolebit, ut Paulus d. l. docet. *Phil. II, 10.* Paulus totam harum rerum universitatem distribuit in tres ordines, *caelestium terrestrium & inferorum.* Ac de caelestibus in specie connumerat *Epistola Heb. 1, 6.* quod *CHRISTUM adorent omnes Angeli;* In *Cap. autem 2.* universalem affirmativam à Psalte usurpatam commutat in negativam universalem propositionem, tanquam vehementiorem: *Nihil non est subje-*

subje-

subjectum CHRISTO. Sic enim ait, *Vers. 8. per hoc quod subiecit ei omnia, nihil omisit, quod non ei sit subjectum.* Atque hæc est latitudo objecti, circa quod dominatus CHRISTI versatur.

Restrictio vero ejusdem objecti habetur in, *Corinth XV, 27.* quam fidem in manifestam dicit esse Apostolus, cum in confesso sit, subjicientem non semetipsum subicere; & statim apparet *ἑυδόμενος*

Vers. 8. & 9. OVES ET BOVES, &c.

Dominium ac Dominatum CHRISTI jam porro amplificat Psalter per distributionem rerum subjectarum, ut ostendat, CHRISTO omnia esse subjecta. Quamvis enim è rebus subjectis, tantum animalia commemoret, tamen ab iisdem ad cæteras, propter eandem subiectionis rationem, facilis est illatio; quemadmodum etiam Chrysostomus erudite monet. In didascalica enim inductione,

ut Gellius appellat, illatio; Si quis ex universali signo Omnia argumentari velit: Ergo CHRISTI carni subjecta est etiam CHRISTI Divinitas, subjectus est etiam Pater æternus, & Spiritus Sanctus. Qui enim omnia huic filio hominis subiecit, sic ei subiecit, ut seipsum non subjecerit. Proinde adæquatum Dominatus CHRISTI objectum, erit omne illud, quodcunque subijci potest.

quia termini sunt necessarii, licet ex una specie, aut singulari, totum universale colligere. Sed cur David ex omnibus rerum CHRISTO subjectarum speciebus animalia selegit, quæ exempli loco proponeret, & non potius Angelos vel cœlestia, aut etiam infernalium? Causa hæc videtur esse, ut ostendat, dominium quod homo integer, in animalia à DEO acceperat, per lapsum autem

K

perdi-

perdiderat, postliminio redire per CHRISTUM ad homines, ac proinde impios, qui meritum CHRISTI aspernantur, & hujus domini recuperationem vera fide sibi non applicant, esse malæ fidei possessores. Quin & licet ipsi nolint, CHRISTUM super se regnare, nihilominus tamen illum in omnia, quæcunque ipsorum sunt, uti & in ipsorum corpus & animam habere potestatem. Ceterum animalia CHRISTO subjecta dividit in certas classes, sumpta differentia à loco: Alia enim sunt *terrestria, alia volatilia, alia aquatilia*. Terrestria itidem sunt duorum generum; *domestica vel fera*. Domestica rursus facit duplicia. Alia enim sunt *minora*, quorum multitudo grex dicitur. Nam יָצִי & h. l. per anomaliam eliso נ , & addito ן paragogico נָצִי , significat non tantum oves, sed etiam capras, & generatim minores pascuales animales, utriusque speciei, &

quidem collective i. e. earum multitudinem notat: Alia verò *sunt majora*, quorum multitudo vocatur armentum, ut præter boves sunt cameli, asini, equi, muli; hæc enim omnia animalia Synecdochice, per vocem boves accipiuntur. Similiter vero adjicitur *nota universalis*, ut comprehendatur tota horum animalium universitas. Ideo Lutherus vertit: *Allzumahl*; Et Junius; *Univerſa iſta*. Atque hæc nota universalis, etiam ad posteriores species est applicanda. Præter domestica autem animalia, addit etiam *fera*, eaque per *avxetfin* connectit cum superioribus. Insuper & *pecora campi vel campeſtria, & ſylvæſtria*, sive bestias agrestes, quæ nondomi & in stabulis versantur, quales sunt cervi, lepores, vulpes, leones, apri &c. Mox etiam *aërea* subjungit; Volucres cœli i. e. *aëris*, ut est *Matth. VI, 26*. Denique *aquatilia* ponit, quæ similiter facit duplicia; Primo enim nominat

nat pisces maris; accepta voce maris vel synecdochice pro omnibus aquis pisci feris, vel κατ' ἐξοχήν de mari proprie dicto, eo quod in illo, propter falsedinem maxima sit animalium fœcunditas. Deinde subjungit etiam alia in mari degentia, cum ait: *Et quicquid transit semitas maris,*

Vers. 10 DOMINE

Postremo Psalmum Epiphonemate claudit ex verbis initialibus desumpto, quo stuporem magis magisque vult

PORISMATA.

I.

Octavus Psalmus est quasi breviarum totius Christologias, continens totam de CHRISTI persona simul & Officio doctrinam. Nam quod CHRISTUS (1) sit DEUS, cognoscitur (1) *Ex appellatione* JEHOVA *Vers. 5. 6.* quæ soli DEO propria est (2) *Ex voce* אלהים *vers. 6.* Sive per אלהים intelligas unam Personam divinam, nempe λόγον, requiescentem in carne patiente; sive propter iden-

vel quicquid pinnis secat mare. Quod enim gressili animali est terra, ubi iter aliquod conficit, id natatili est aqua, ubi se movet, & de loco in locum migrat. Præter pisces ergo innuit Psaltes balænas, phocas, eqvos & canes marinos, item omnia testacea, cancros, conchilia, & similia. DEUS NOSTER.

excitare, & ostendere, quod vere dixerit: *Admirabile est nomen tuum, Dominator noster* JEHOVA!

titatem essentiæ & operationis ad extra, omnes Deitatis Personas. Utrum enim velis; Sive dicas, Filium hominis minoratum esse à λόγῳ, sive minoratum esse ac desertum à tota SS. Trinitate; utrobique necessario colligitur, CHRISTUM esse DEUM, cum sit λόγος, & media persona in SS. Trinitate. (3) denique ex gloria cœlesti & honore adorationis carni assumptæ personaliter collato:

K 2

Nisi

Nisi enim λόγος verus esset DEUS, non potuisset in unitate personæ carni assumptæ infinitam gloriam communicare. (II) Humana natura autem cognoscitur (I) ex appellationibus ipsam exprimentibus, cum CHRISTUS dicitur homo & Filius hominis *vers. 5.* (2) Ex passione adeoque tota exinanitione, quæ in CHRISTO humanæ & non divinæ naturæ propria est (III.) Unio personalis. Hæ autem duæ sunt naturæ personaliter unitæ, dum λόγος visitavit Filium hominis, *i. e. coire cum ipso dignatus est in unam Personam*, adeoque memor ipsius esse, ut ille nomen super omne nomen hæreditate acciperet, *i. e. ut esset Filius DEI, per & propter unionem personalem & assumptionem humane nature in ὑπόστασιν τῶ λόγῳ.* Atque ad hanc visitationem respexisse videtur concilium Ephesinum Can. 3. cum personalem unionem vocat *σύνοδον καὶ ἔνωσιν φυσικὴν i. e. coitionem ipsarum naturarum se-*

condum unionem. (IV.) Officium autem CHRISTI & notatur compendio à Pfsalte. Nam (I) sacerdotium ipsius Synecd. innuit Exinanitio, cuius pars est mori & victimam fieri (2) Est Adonai & Moschel *i. e. Dominator & Dux, vel Rex*; cum quoad regnum gratiæ, cui succenturiatur officium ejus Propheticum. Nam regnum hoc administrat per ministerium verbi & Sacramentorum; tum quoad regnum potentia & gloriæ, quando omnibus creaturis potenter dominatur, & coronatus est potentia, gloriâ, & honore *vers. 6.* Quibus de omnibus copiose supra.

II. De Ecclesia militante, quæ describitur (I) ab amplitudine in N. T. Non enim in Judea tantum jam notus est DEUS, fed in universa terra nomen ejus est admirabile *vers. 2.* (2) à Communionem Sanctorum in V. & N. T. habentium unum DEUM, unum CHRISTUM & unam in ipsum fidem; Quæ est solennis illa formula, quam

quam omnium temporum Ecclesia usurpat, dum DEUM vocat *Dominum suum*, & quidem non tantum suum, verum etiam respectu ad communionem cum præteritis & *seqq.* temporibus habito, conjungit se cum piis ceteris, & exclamat. *Domine DEUS noster* (3) *A materia*, ex qua colligitur; illa sunt infantes & lactentes, i. e. qui & ætate tales sunt, per regenerationem ad Ecclesiam collecti; & adulti, qui infantes in simplicitate fidei imitantur (4) *ab effectu*, qui est laus DEI, & destructio operum Satanæ. (5) *A nota propria*, quæ est os infantum & lactentium, ut est prædicatio verbi divini, cui annexa est Sacramentorum administratio. Ubi enim CHRISTUS loquitur, ibi vera est Ecclesia. Ubi vero non est CHRISTUS, sed homo vel Satanas loquitur, ibi non est Ecclesia, sed Synagoga Satanæ.

III. De dignitate & efficacia verbi prædicati, contra

Schwenckfeldianos, & novitios quosdam vappas, qui Spiritum Münsteri Anabaptisticum ab inferis revocare, & nescio cujus tenebrionis Weigeli vestigiis insistere volunt, diligenter notandos: Dignitas verbi est, quod CHRISTUS Dominator ipse per os ministrorum operetur, & Ecclesiam suam fundet, robustamque contra omnes inferorum partes efficiat. Efficacia autem verbi magnifice extollitur, à Psalte, quando prædicat, per os infantum & lactentium fundari sive stabiliri robur, i. e. regnum CHRISTI, & majestatem ipsius regiam, hymnis perpetuis dignam, & inimicum illum ἀσπορδον destrui. Unde Rom. 1, 16. Evangelium CHRISTI dicitur potentia DEI ad salutem. Quamquam autem inimicus iste & ultor, subinde aciem suam contra hoc robur CHRISTI instruat, nihil aliud tamen obtinet, quam ut cum suo commilitio tandem abolea-

K 3

abolea-

aboleatur. Vide mihi potentissima mundi regna, quæ CHRISTO bellum moverunt, excitato classico, quod *Psal. 11, 3. refert. Disrumpamus vincula eorum &c.* Ah quam misere pessundata & abolita fuerunt! Idem Anti-Christo fiet, quem Dominator noster, jam dum Spiritu oris sui interficere cœpit, & tandem illustri adventu suo abolebit. *2. Thes. 11, 8.*

IV. Infantes revera habent fidem. Probamus hæc ex certissimo signo, quod Psalmus noster *v. 3* suppeditat, nempe quia laudant DEUM, & sub vexillo CHRISTI pugnant contra Diabolum, ejusq; squammas. Hæc enim laudatio non est *objectivè* accipienda, ut Rabbinii & Calvinum secutus Piscator volunt, quasi infantes materiam tantum exhibeant laudandi DEUM, & agnoscendo providentiam, eamq; asserendo contra inimicos Epicuræos, intuitu mirandæ sustentationis infantum, cum in alvo materna jacentium, tum recens edito-

rum. Sic enim & elingves atq; brutæ creaturæ laudant DEUM, quemadmodum *Ps. XIX, 2.* de cœlis asseritur; Sed *effectivè*, quia CHRISTUS hujus Psalmi *v. 3.* refert ad puerulos *Hosianna* acclamantes, ut prædicantes ipsius regnum, *Matth. XXI, 16.* Facescant ergo impiæ voces Anabaptistarum & Photinianorum, qui infantes ante annos discretionis, & antequam ex auditu fidem accipiant, credere nullo modo concedunt, quemadmodum videre est ex *Colloquio Franckenthal. pag. 520.* & in libello Socini de amplianda Photinianorum religione, *Cap. IV.* Eandem sententiam defendere multi & de gente Calviniana non erubescunt, uti *Beza Part. II. Quest. 124.* Et in *Colloquio Mompelgard. p. 87.* nec non *Piscator* & alii complures: Quando ergo inter alia sic argumentantur: *Ubi fides, ibi effecta fidei. In infantibus non sunt effecta fidei. Ergo in infantibus non est fides.* &c. Negando minorem è Psalmo nostro. Nam
lau-

laudare DEUM, & pugnare contra Satanam sunt effecta fidei. Et quamvis illa in infantibus effecta non sunt externa, & hominibus conspicua, tamen DEO sunt aperta, *Hebr. IV 12. 1. Joh. II, 12.*

V. Et quidem *fidem actualem* habent. Ex Psalmo nostro petimus tale argumentum. Quæ fides, se actu secundo, nempe laudatione DEI, & odio Diaboli exserit, illa est revera actualis. Atq; infantum fides est talis. Ergo. Addi autem ex aliis scripturæ locis possunt plura argumenta, è quibus eminent illa, quæ ex ipso actu credendi qui infantibus tribuitur, *Matth. XVIII, 6.* tum ex conditionibus fidei salvificæ, notitia, assensu, & fiducia, actum significantibus depromuntur. Hæc diligenter notanda sunt, partim contra Pontificios, partim contra Calvinianos. Pontificii enim nudum & otiosum fidei habitum, seu actum tantum primum tribuunt infantibus, ut videre est apud *Bellarmin.*

Cap. XI. & XII. & in Colloq. Ratisbon. pag. 254. Calviniani autem non sunt unius sententiæ. Aliqui enim, ut modo diximus, omnem fidem infantibus denegant, aliqui autem fidem quidem concedunt, de modo autem fidei disputant, & actualem esse negant, tribuentes infantibus tantum *δύναμιν* credendi, fidem in actu primo, non secundo, fidem inclinativam, semen & radicem fidei; quales distinctiunculæ in *Trelicati Institut. Part. II. Cateches Ursini, Syntagm. Polani, Institut. Bucani,* & aliorum scriptis occurrunt. Facile autem dilui poterunt & Pontificiæ & Calvinianæ cohortis argumenta, modo distingvatur inter operationes fidei externas, & internas, & præterea inter fidem salvificam absolute sic dictam, & inter fidem salvificam talem i. e. adultorum. Actualis est fides infantum ratione operationum internarum, licet extrinsecus officiis charitatis in oculos incurrentibus se non

non

non proferat, ut fit in adultis. Licet item infantes specialem articulorum fidei omnium cognitionem non habeant, nec fidem concipiant ex verbi prædicati audientia, lectione meditatione, nec sciant se credere, nec cum dubitationibus luctentur, quemadmodum itidem adulti faciunt. *Vid. Lutb. in Os. Cap. XII.* Ubi diversitatem hanc fidei in infantibus & adultis accidentariam, illustrat simili ducto, à diverso modo nutritionis externæ infantum & adultorum.

VI. Exinanitio & exaltatio toti CHRISTO competit, sed non secundum utramque naturam, verum quatenus homo est. Id quod in ipsa etiam analysi multis rationibus probavimus. Nunc tantum cavillum *Belarm. Lib. 7. de Incarnat. Cap. 7.* adducimus, ubi Chemnitii, & aliorum Theologorum nostrorum doctrinam carpit, exaltationem CHRISTO secundum carnem tri-

buentium, ex eo, quod Pfalltes omnia pedibus CHRISTI subjecta esse dicit. Pollicem autem Jesuitis præbet *Pareus in Cap. II. Hebr.* & nos, quos Ubiquitarios nominat, crassæ & stupidæ hujus opinionis nomine traducit, quasi statuamus, humanitatem CHRISTI in exaltatione nactam esse pedes tam longos, tamque latos, ut iis omnia premat. Sed mera est calumnia, hominum Spiritu vertiginis actorum, & nostra verba atque sententiam pervertentium. Nos enim non intelligimus subjectionem *localem*, quæ humanitas CHRISTI expansa fit per omnia loca, sed *imperiale*, quæ consistit in præsentissima rerum omnium gubernatione, eaque præsentia, non est humana, sed divina, à λόγῳ carni assumptæ propter unionem personalem communicata: Tribui autem sane, imperialem subjectionem CHRISTO secundum carnem dicimus; inter alias

alias

alias, hac & ratione moti, quia pedum CHRISTI fit mentio. Qui enim pedes proprie sic dictos habet, ille vere est homo, & quod ipsius pedibus dicitur subjectum, hoc ratione humanitatis de eo prædicatur, & dicitur ei subjectum. Hæc ratio tam evidens est, ut Genebrardus & ipse homo Pontificius, veritatem agnoscat, contra Bellarm. quando sic commentatur: *Subjecit illi omnia, ita ut nihil accipiatur, quod ipsi non sit subjectum, nisi ille, qui subjecit ipsi omnia, idque secundum humanam naturam. Nam secundum Verbi potentiam indifferenter omnia, quæ habet Pater, ea etiam Filius habet. Porro Phrasin (sub pedibus ejus) explicat: sub dominatu humanitatis ejus.*

VII. Ex CHRISTI dominio & dominatu, ceu confectarium dependet, jus sublunariis creaturis utendi, homini postliminio recuperatum. Postquam enim Filius DEI, nos Patri suo re-

conciliavit, & in numerum Filiorum DEI restituit, simul & reparavit hæreditatem, & dominium super animalia, & herbas terræ, homini in prima creatione concessum *Gen. 1, 26. 28.* Illud enim per peccatum amissum erat, ut vanitati propter illud subjecta esset natura *Rom. VIII, 20.* & temperamentum hominis, qualitatibus omnium herbarum non amplius responderet, & injuriæ bestiarum ipsi essent pertimescendæ. Estque hoc privilegium Ecclesiæ proprium, quia fide sibi applicat meritum CHRISTI, propter quod & justificamur coram DEO, & simul renovatur imago DEI, ad quam conditi sumus. Consistit vero hoc jus domini, merito CHRISTI reparatum (1) *In usu licito creaturarum cæterarum in mundo hoc elementari.* Nam animalibus & herbis, omnes Christiani possunt uti bona conscientia, & fruuntur illis, ut Filii DEI ac hæredes; im-

L

pii

pii autem abutuntur, cum non sint Filii, sed canes. Ac quamvis DEUS illis interdum cupedias, & optimam partē apponat, tamen hoc vergit in majorem eorum damnationem, si *μακροθυμίαν* DEI aspernentur, qui corporalium beneficiorū oblatione, illos ad pænitentiam invitat; Dum ergo prospere agunt impii, & in flagitiis suis obfirmantur, tanquam pecudes ad mactationem saginantur, & ex hoc mundi saginario, velut in lanienam tandem momento abripiuntur. Lege *Pf. XCIV, 13.* & totū *Cap. XII. Jerem. (2) In usu libero.* Nam ut Paulus & *Pf. XXXIV.* elicit libertatem circa escas *1. Cor. X, 24.* Ita Lutherus ex hoc Psalmo, ubi de dominio Christi agitur, recte eandem, libertatem deducit, & ostendit carnis privii necessitatem, esse jugum, CHRISTI merito adversum (3) *In Imperio* & subjectione animalium & ferorum, quæ describitur latius apud *Oseam Cap. II, 18.* pro-

missa securitate à belluis, ut pii in mundo secure habitent, tanquam in pacata domo. Sed inquis, hoc non semper evenit, cum multa à bestiis immineant pericula? R. Omnes promissiones corporales, habent adjunctam crucis exceptionem, eo quod imago DEI, ad quam pertinet dominium in creaturas sublunares, in hac vita non perfecte renovetur; licet reliquæ peccatorum circumgestentur, quas ex carne nostra, igne tum harum, tum similium afflictionum purgari oportet; ideo bestię istæ, sunt quasi lora & terriculamenta, quibus DEUS nos terrens ad se trahit, ut auxilium ejus imploremus, sicuti loquitur *Theodor. Quest. 18.* Semper autem distingvatur inter dominium directum, quod Christus, ut caput sibi reservat, in usum tamen suorum membrorum. Et inter dominium utile, seu usumfructum. Homo enim non est proprietarius creaturarum sibi per
Chri-

Christum subjectarum, sed tantum Usufructuarius; Ex dominatu autem CHRISTI, quem latius adhuc patere supra diximus, quam dominium, fuit etiam delegata potestas in hostes. Nā ipsum Satanam conterit Christus sub pedibus nostris *Rom. XVI, 20.* Et aliquando subjectio

hæc hostium in membris Christi consummabitur, ubi mors, ultimus hostis abolebitur *1. Cor. XV, 26.* & pii mundum sunt iudicaturi *1. Cor. VI, 2.* Ita autem potestatem hanc pii habent, ut imperium absolutum sit penes Christum, qui extrema subiectione sibi omnia subjecit.

ELENCHUS.

Abutitur *Bellarmin. Lib. 1. de Imag. DEI Cap. VI.* hujus Psalmi *Verf. 8. & seqq.* Probaturus enim, justitiam originalem non fuisse homini naturalem, sed supernaturalem, allegat gloriam & honorem, quo coronatus est Filius hominis, cum corona sit externum decus, & non naturale. Verum &. Verba Psaltæ, de nullo filio hominis accipi posse, nisi de Christo, ut supra satis superque evicimus (2) Etsi concederetur, Psalmum loqui de primo homine adhuc integro, non ta-

men sequeretur, quia coronatur gloria; Ergo gloria fuit externa, & non naturalis. Nam (1) Coronare est splendide munerari, & dona largiri ad regnum capeffendum. At talia dona sunt sapientia & potentia, quæ non sunt externa (2) Honor etiam non tantum de signo reverentiæ externo accipitur, verum etiam si merito exhibetur alicui reverentia, fundamentum honoris requiritur, quod est virtus. Virtus autem non est quiddam externum.

PRAXIS PATHOLOGICA.

Affectus, qui ex hoc Psalmo moveri potest, in primis est

confidentia, quam parit officiū Christi Regium. Nam Regiæ par-

par-

partes sunt duæ potissimum
Colligere, conservare & curare sub-
ditos. Si ergo Christus est Rex
 est ארני & שליט Dominus &
 Dominator noster *V. 1. & 6.*
 ideo & nos curabit. Sane pro-
 videntia ipsius, quam de no-
 bis suscipit, documenta pas-
 sim sunt obvia. Ecce macel-
 lum ejus amplissimum in sta-
 bulis & sylvis, imo & in aëre:
 Ecce promptuariam cellam in
 vinetis & hortis, & Christiani
 non habeant, quod esitent?
 Quamvis autem sis infimæ
 conditionis homo, ita ut mun-
 danus quidam Dominus non
 facile te in fidem suam reci-
 peret, tamen bono animo
 esto, quia hic Rex & Dominus
 neminem repellit à peculio
 suo, nec dedignatur quæmpiam,
 five egenus & despectus,
 five infirmus ארני fit. Qvic-
 quid est opus manuum sua-
 rû, id pro hoc agnoscit. Gaude
 ergo o Christiane! & quicumq;
 te opus DEI esse cognoscis, ti-
 bi hæc dicuntur: Si jam ini-
 mici tui mala inte consultant,

in quæ amabo redundat hæc
 machina, in te, an vero in
 Christum? Noli timere! Tu
 Christi es, ipse est Rex, & ma-
 jori cura super te vigilat, quã
 tu super te ipsum. Vide hæc
 Lutheri verba cum *seqq. in*
Comment. pag. 241.

II. Regis quoq; partis sunt
subditos suos defendere, quod
 ipsum Christus quoq; & fa-
 cere potest, cum omnia pedi-
 bus suis subdita sint, & facit i-
 ta, ut adversarii tui, O Chri-
 stiane! simul sint hostes Chri-
 sti *V. 3.* Quid ergo timeas aut
 inquietus sis? Christum læ-
 dunt, si te lædunt; tuum est
 patientem esse, & conformẽ
 fieri imagini Christi, qui de-
 sertus est à DEO. Sed & hoc
 tibi solatio sit, quod paulisper
 tantum sit desertus. Nam &
 afflictio tua & brevis & modi-
 ca est futura. *Es. LIV, 7. Psal.*
XCI, 4. Joh. XVI, 22. ita, ut
 tibi tandem omnia in bonum
 cooperentur *Rom. VIII, 28.* nec
 quicquam salutis tuæ
 officiat.

☞ (o) ☞

Coll. diss. A. 196, 37